



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum  
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt VI. Ira & iracundia, in aliquot historijs exenterata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

## CAPVT VI.

IRA, ET IRACVNDIA, IN ALIQVOT  
HISTORIIS, EXENTERATA.

## P A R S P R I M A.

I.  
IRA QUID SIT,  
ET AN SEM-  
PER MALA?  
Aristot. lib. 1.  
de anima.  
Situ. verb. ira,  
num. 1.



RAM, Aristoteles docet, esse accensionem sanguinis circa cor; alij appetitum vindictæ; completius tertij vtrumque coniungunt, aiuntque, iram esse, sanguinis inflammationem, circa cor, propter appetitum vindictæ; seu cupiditatem puniendi eius, à quo se quis lesum arbitratur. Hæc cupiditas, moderata esse potest, vel immoderata. Si moderata est, bona est; si immoderata, aut contra ordinem rationis, mala est, maloque asino vehitur, cui hæc ira calcar addit equitanti. Sunt nimirum medij quidam motus animorum, quibus si malè vtaris, fiunt vitia; sin aliter, virtutes erunt.

Sabellic. l. 9.  
c. 3. de iracun-  
dia.

Qui peccanti irascitur, vt vitium corrigat, nihil inhumanè facit: qui iniuriam damnat, aut illatam ulciscitur, fortis hic & iustus: at qui iram non frenat, sed praeceps rapitur, is immani belluæ similior, quàm homini.

S. Basil. orat.  
de ira.

Iraque, vt S. Basilus scribit, ira, in homine, est, quod canis in domo; qui bonus est, si fures abarceat latrando; malus, si in domesticos & amicos infestus insurgat.

Laërt. lib. 6.

Iraisci aliquem iustè posse, è Diogenis constat dicto, qui, cum de non irascendo accuratè disputaret, proteruus quidam adolescens, velut periculum faciens, an dictis facta competere, & num Philosophus re præstaret ea, quæ docebat oratione, in faciem illi spuit. Tulit id quidem æquo animo & sapienter Diogenes; dixit tamen: Non quidem irascor, sed dubito, an irasci oporteat? Indicauit ergo, aliquando irasci oportere. Est hæc affectio cos virtutum; est regiminis, & iusti metus radix; est nimix lenitatis atque indulgentiæ correctrix, est etiam inter eos qui Doricè concinunt; neque discordant. Nec recti limites excedit, si in fræno teneatur.

Psal. 4. 5.  
Ephes. 4. 25.

Quare illud Dauid prouidè monuit: Irascimini, & nolite peccare. Potest enim irascens non peccare; immo potest peccare, qui non irascitur, sed ridet, quando flenda cernit, causamque habet irascendi.

S. Chrysoft.  
hom. 11. in  
Matth.

Qui sine causa irascitur, ait S. Chrysostomus, reus erit, qui verò cum causa, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec erimina compeſcuntur. Si ira deſit, nemo pugnabit, ne-  
mo vin-

mo vincet, nemo de hoste est triumphaturus, vel certè pauci. Manichæorum hæresis fuit, vsque ad eò irascendum non esse, vt ne malefactores quidem occidi posse iudicarent: cum tamen, ex actis & probatis dignum morte, à morte eximere non possit iudex. *Deus itaque qui irascitur, non in totum prohibet iram, quia is affectus necessario datus est;* ait Lactantius: & Aristoteles: *Est maximus ad subeunda pericula aculeus iracundia.*

Stoici iram & omnes animi affectiones, tanquam malas, existimabant radicitus tollendas; vera tamen & à S. Augustino approbata Peripateticorum sententia est, motus eiusmodi posse rationi consentaneos esse, & aduersos. Monet ergo S. Thomas, in quavis affectione appetitus sensitiui, duobus modis malum posse existere. Primò ex ipsa specie, seu obiecto passionis: secundo ex quantitate, seu ex defectu vel excessu illius. Ex obiecto inuidia, in sua specie, est mala; quia est tristitia de bono aliorum, quod omnino rationi repugnat: vnde, apud Philosophum inuidia semper sonat malum. Hoc autem pacto ira, generatim & ex se, non est mala, cum appetitus vindictæ & bonus esse possit, & malus; fit autem mala ira, quando ibi vindictam coquit, vbi nihil est vindicandum, aut maiorem minoremue coquit, quam alter mereatur. Itaque secundo modo mala esse potest ira, quando quis, etiam ibi, vbi aliquid vindicandum est, plus, vel minus, quam ratio suadeat, irascitur vindicatque. Qui autem iræ, iuxta rationis dictamen, habenas laxat, non irascitur malè; quia illi irascitur, cui irascendum est, & tantum irascitur, quantum est irascendum: & ibi irascitur, vbi est irascendum. Quod non fecit Sparfus, quem Seneca scribit, inter Scholasticos insanum, inter insanos Scholasticum fuisse. Et quamuis Aristoteles tradat, *iram non perfectè audire rationem;* S. Gregorius autem, ab ira tranquillitatem mentis diuerberari, dilaniari, perturbari, doceat: Cassianus etiam *oculos mentis excacari* dicat; & ex D. Dionysij pronunciato, *malum anima sit, esse sine ratione;* id tamen non est intelligendum vniuersim; sed de ira, quæ præuenit, non quæ sequitur rationem. Ira, quæ antecedit, rationem à rectitudine sua trahit, atque idcirco mala est; quæ autem sequitur rationem, bona est, à ratione enim ducitur, non seducit ipsa rationem. Sicut enim cæcus non errat à vidente ductus; errat autem videns, si à cæco ducatur; ita non deuiat

Lactant. Firmian. lib. de Ira Dei.  
Aristot. lib. 3. Ethic. c. 3.

II.

QVÆ IRA BONA, QVÆ MALA SIT?  
S. Augustin. l. 9. de ciu. c. 4.  
S. Thom. 2. 2. q. 158. art. 1.

Aristot. l. 2. Ethic. c. 6.

Aristot. l. 7. Ethic. c. 6.  
S. Greg. 5. Mor. c. 30.  
Cassian. lib. de Instit. Cænobior.

deuiat ira quæ sequitur, sed quæ antecedit rationem, cuius lumen impedit, non cernit. Obest ergo ita in fermento iacere; non obest rationis ductu incalescere. Quid enim mali est, si appetitus sensitivus, contra vitia, ex regulâ atque ordine rationis, moueatur? *Curandum summopere est*, ait S. Gregorius, *ne ira, qua, ut instrumentum virtutis, assumitur, menti dominetur: ne quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam recedat.* Addit S. Thomas, etsi ab hac quoque ira, in executione actus, iudicium rationis aliquo modo impediatur, non tamen tolli rectitudinem rationis: cum virtuti non officiat, etiam si, in executione eius, quod est à ratione deliberatū, deliberatio rationis intermittatur. Quemadmodum neque arti prodesset, immo actui illius impedimento esset, si, dum deberet agere, etiam de agendis deberet deliberare. Denique etsi Dominus meritò dicat: *Mea est ultio*, non tamen idcirco putandum est, illicitum esse homini omnem ultionis appetitum, soli que Deo relinquendum. Tametsi enim malum est, appetere vindictam, ob malum illius, qui puniendus est; haud tamen malum, sed laude dignum est, appetere vindictam, ob correptionem vitiorum, ac bonum iustitiæ conseruandum. In quod bonum etiam potest tendere appetitus sensitivus; non quidem, prout *ira est feruor eius, qui circa cor est, sanguinis, vaporazione fellis, vel perturbatione* fiens, ut S. Damascenus ait; sed prout à ratione mouetur & regitur. Ita est *ira per zelum*, non *ira per vitium*, quæ sola excæcat. Immo vindicta, quæ secundum ordinem iudicij fit, à Deo fit; cuius minifra est potestas, quæ punit. Quo pacto fit, ut adhuc ultio sit Dei, quæ fit, Deo dictante, & dante potestatem.

S. Ioan. Damascen. lib. 2. de fid. c. 16.

Rom. 13.

### III.

EXEMPLA IRASCENTIUM.

Exod. 16. 20.

Exod. 32. 19.

Leuit. 10. 16.

Num. 16. 15.

Num. 25. 7.

1. Sic iustè sancteque iratus est Moyses, contra eos, qui manna, non sine Dei diffidentia, seruauerunt in diem sequentem; & qui Ægyptio ritu vitulati, sacrilegè circa vitulum saltauerunt, quando *proiecit de manu tabulas, & confregit eas, ad radicem montis*; itemque *contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron*, qui videbantur non seruasse, quod præceptū erat: & contra Core, Dathan, Abiron, & Hon rebellantes. 2. Sic zelo iusto exarsit Phinees, arrepto que pugione ingressus est ad scortatorem in lupanar, quem peccantem interfecit, & impiam voluptatem acerba morte finientem misit, ad æternos cruciatus. 3. Sic Saule Dauidem lancea percutere conato,

nato,

irato, Surrexit Ionathas à mensa, in ira furoris, & non comedit, in die  
 calendarum secunda, panem. 4. Sic Nathan diuitem iniquum, &  
 in eo, ipsum Dauidem accusante, iustissima iratus indignatione Da-  
 uid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: *Vinit Dominus,*  
*quoniam filius mortis est vir, qui hoc fecit.* 5. Sic vtique ira pia dixit  
 Elias: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia derelique-*  
*runt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos*  
*occiderunt gladio.* 6. Sic zelo bono Eliacim, Sobna & Ioahe, scissis  
 vestibus, verba Rabfacis nunciauerunt Ezechiae, & ipse rex Eze-  
 chias scidit vestimenta sua, & obuolutus est sacco, & intrauit in domum  
 Domini. 7. Sic Ieremias iratus ait: *Cui loquar? & quem conuestabor?*  
*ut audiat? ecce incircumcisa aures eorum, & audire non possunt: ecce*  
*verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. Id-*  
*circo furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.* 8. Sic ipse Chri-  
 stus, cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves  
 quoque & boues, & numulariorum effudit as, & mensas subuertit. Vn-  
 de & recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est: *zelus domus tue*  
*comedit me.* Quid multis opus est? De Numinis ira veteres Philoso-  
 phi accuratè disputauerunt; & reprehensi sunt vehementer Epicu-  
 ræi, quòd dicerent, Deum irâ non tangi. In diuinis sanè litteris lu-  
 culentæ historiæ diuinam iram, vtique bonam & iustam descripse-  
 runt. Ibi, irato Deo, disuuium Mundo est inductum; orta lingua-  
 rum confusio; Sodoma sulphureo igne in fumum versa; Pharaos  
 cum toto exercitu, post multas totius Ægypti plagas, quasi plum-  
 bum submersus; sexcenta sunt exempla; & omnis poena hominis,  
 est ira Numinis. Si Numinis, ergo bona; quia in optimo nihil po-  
 rest esse mali; nec quidquam in perfectissimo immoderati. Ipse  
 Saul, cum intellexisset, Ionatham paululum mellis, contra patris  
 adiurationem præceptumque, etiam nescientem gustauisse, iustitiæ  
 zelo exardescens dixit: *Hac faciat mihi Deus, & hac addat, quia mor-*  
*te morieris Ionatha.* Et ille Ionatha, qui, eo ipso tempore, fecit salu-  
 tem magnam in Israel. Apud Ethnicos, par Romulo gloria L. Brutus,  
 quia ille urbem, hic libertatem Romanam condidit: filios suos Tarquinij  
 dominationem à se expulsam reducentes, summum imperium obtinens,  
 comprehensos, proq; tribunali virgis caesos, & ad palum religatos, securi  
 percuti iussit. Exiit patrem, ut Consulem ageret; orbisq; vinere, quam  
 publicæ

1. Reg. 20. 34.

2. Reg. 12. 5.

3. Reg. 19. 10.

Isa. 36. 21. &  
cap. 37. 1.

Ierem. 6. 10.

Ioan. 2. 15.

Gen. 7. 17.

Gen. 11. 7.

Gen. 19. 24.

Exod. 7. seqq.

1. Reg. 14. 44.

Val. Maxima.  
lib. 5. c. 8.

publica vindicta deesse maluit. Nec minus animosè A. Fulvius vir senatorij ordinis, euntem in aciem filium retraxit, quàm Scavrus è pralio fugientem increpuit. Namq; inuenem & ingenio, & litteris, & forma, inter aequales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilina secutum, inq; castra eius, temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum supplicio mortis affecit: praefatus, Non se Catilina illum aduersus patriam, sed patriam aduersus Catilinam genuisse. Laudantur hi justè irascentes, & quidem filijs suis irascentes; in quorum laude diuina quoque ira laudabilis inuenitur. Cur enim Deus filijs suis non irascatur, si sint degeneres? si patris disciplinam excutiant à se? si contempnant, amantem? Enimuerò iratus fuit saepe, saepe eos castigauit. Deniq; Osee 11. 2. populum illum, de quo dixit: *Ex Aegypto vocavi filium meum*, quia vidit Christo tam inimicum, & in Hierosolymitana clade, & vsque ad hunc diem, quàm varijs modis afflixit? Nimirum vt ipse iustissima ira in refractarios animaduertit, ita vel exemplo vult etiam alios ad iram rationi consentaneam excitare. Sunt enim multi aded sine bile, & ratione, vt omnia sinant susque deque ire, & nunquam irascantur, nisi quando alios vident iustissimam licet iram à se postulare, iram à ratione dictatam, à Numine mandatam; ab ipsis Ethnicis approbatam: dummodo in potestate habeatur, & ipsa non superet vincatque rationem. Potest enim facile degenerare, Cael. l. 6. c. 35. cum Gallius Vibius vir magnæ eloquentiæ insaniam mentiens, quod assimilabat, ad veram redegerit. Subesse debet ira non præesse.

IV.  
PARENTVM  
NON IRA-  
SCENTIVM  
CVLPA.  
1. Reg. 2. 22.

Vtinam hæc ira esset in omnibus parentibus, qui suos liberos nimia destruunt indulgentia, & vel omnino conuiuent, vel nimis molliter irascuntur, quando audiunt, prolem suam exorbitare; quemadmodum Heli, qui erat senex valde, & audiuit omnia, qua faciebant filij sui vniuerso Israeli: & quo modo dormiebant cura mulieribus, qua obseruabant ad ostium tabernaculi: & dixit eis: *Quare facitis res huiusmodi? quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite, filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Vbi multa consideratione digna se se offerunt. 1. Non fuisse dubia filiorum crimina. 2. non fuisse exigua. 3. non fuisse pauca. 4. non fuisse occulta.

occulta, ſed publica & ſcandalofa. 5. non latuiſſe eorum parentem, quia non ab vno, ſed ab omni populo audiuit. Non fuiſſe dubia, tot teſtes oſtendebant, nec ipſi negabant rei. Non fuiſſe exigua, locus, genus, occaſio peccandi oſtenderunt. Siquidem in loco ad orationem & ſacrificia deputato, & cum perſonis Dei ſeruitio deſtinatis peccauerunt: nam dormiebant cum mulieribus, qua obſeruabant ad eſtium tabernaculi, luſtrum è templo facientes. Non fuiſſe pauca, indicant illa omnia, qua faciebant filij vniuerſi Iſraeli. Non fuiſſe occulta, ſed publica & ſcandalofa, exprimitur illis verbis, quia omnis populus eos accuſabat; & quæ Heli ipſe dixit, ut transgredi faciatis populum Domini. Non latuiſſe parentem, illa etiam declarant; Et audiuit omnia, qua faciebant filij ſui. 6. Igitur Heli & ſenij authoritate, & poteſtate paterna, & ſacerdotali pietate vti debuiſſet. 7. Debuiſſet & ſacrificia promouere, quæ filij impediabant, neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum; ſed quicumque immolaſſet victimam, veniebat puer ſacerdotis, dum coquerent carnes, & habebat fufciulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in leberem, &c. Et erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines à ſacrificio Domini. 8. An non debebat hoc etiam grande eſſe coram Heli? Sed ille parens fuit indulgens. Mitio fuit, amore cæcus fuit, filijs irafci non potuit. 9. Quare facitis res huiusmodi? ait: quaſi ocaſionem eis offerret, ſe excuſandi, aut quaſi illi cauſam dicere honeſtam rerum tam inhoneſtarum potuiſſent. 10. Nolite filij mei, inquit, non enim bona eſt fama, quam ego audio. Quaſi eorum illum fama magis, quam culpa affligeret. Non irafci, in quibus oportet, inſipientis eſt, ait Ariſtoteles. Quid mollius potuit dicere, quam: Nolite, filij mei? baculum arripere debuiſſet; homines nequam veriùs nominaiſſet; à capite aſſere, per ſcapulas & lumbos, per femora & crura loris eos, ex mæſſico conſcribiſſet. Sed ira defuit illi, quamuis, ſi S. Hieronymo credimus, alioqui ſanctimonia eſſet illuſtris. Sic amorum filiorum excæcavit. Vt & nos plerumque Non videmus manica, quod in tergo eſt ad aliorum vitia aquilæ, lynces, & toti, ſicut Argus, oculi. ſiſtica excuſamus, & quâ poſſumus, tegimus; ne culpa in nos redundet. Ira tunc nobis deeſt, ſicut defuit Heli.

ELIAM MAIO  
 MARI MAGNO  
 MATHIAS  
 MARTINI LIIII  
 1477

Ariſtot. l. 3.  
 Ethic.

S. Hieronymi  
 in cap. 6. ad  
 Ephes.



V.  
 QVAM MALE  
 QUIDAM IN-  
 DVLGENTIAM  
 HELI IMITEN-  
 TVR?

Ne vobis quoque desit, o parentes, irascimini, & nolite peccare, si filij vestri peccant. Immo nolite huius Heli effeminatam clementiam superare. Heli, indulgentiam peccavit: & tamen accusationes ab omni populo admisit, vos non vultis audire, si quis filios vobis vestros accuset; putatis nimirum illos delinquere non posse; plus filijs creditis, quam accusatoribus filiorum; vera dicentes, illico pulli vestri eludunt negando & perfrectè mentiendo. Heli filios suos vocavit, & accusatores, non nisi generatim citavit, ab omni populo, se rem audisse, dixit: non dixit, Ioachim vos accusavit, ut nōritis vestrum proditorem; non nominavit Manassem; non descripsit alium, quem facile coniectura assequi possent: vos, ut filios vestros in odium atque vindictam incitetis, ut dissidia pariatis, vicinus, inquit, dixit: Georgius hoc de vobis scripsit: epistolam eius legite: ita accusantes, in gratiarum actionem, vicissim accusatis; ita ostenditis, agrè vobis esse, si quis indicet, sibi aliquid in filijs vestris displicere; ita facitis, ut vos nemo impolterum, si quid filij vestri peccauerint, aut si in periculum inciderint, audeat admonere. Heli saltem filios suos ita compellavit. *Non est bona fama, quam ego audio: vos, si de vestra sobole aliquid turpe narratur, sapè etiam ridetis, & placere vobis testamini, si quid audeant. nempe heroicū esse putatis, posse esse facinorosum; & ex hoc viros agnosci dicitis, si filios vestros, tametsi vxores non habeant, tamen jam liberos habere audiatis. Hæcine summa est gloria vestra, proletarios mundo dedisse? qui nomen viri, non virtute, sed libidine metiantur. O viri, non viri, sed mulieres! o matres, non patres! o Mitiones, non Hegiones? cur vos tanta amentia finitis excæcari? Irascimini, & nolite peccare.* Peccatis enim hic, si non irascimini, quando filij vestri, filiaque vestra iram inuenerunt. Meritò igitur pœnæ vos expectant, quas meruit audire & sustinere Heli sacerdos; longèque atrociores. Liberorum enim peccata, in parentum supplicia redundant. Rectè Clemens scripsit: parentes illius peccati reos fieri, in quod, eorum indulgentia, proles incurrit. Unde dicitur: *Docce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Patientia enim irrationabilis, ait S. Chrysostomus, vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solùm malos, sed etiam bonos inuitat ad malum.* Et addit: *Iracundia, quæ cum causa est, non est iracundia, sed iudicium.*

Clem. lib. 4.  
 Constit. Apo-  
 stol. cap. 20.  
 Eccli. 30.  
 S. Chryso-  
 st. hom. 11. super  
 Matth.

Quare



Quare & defectus iræ iudicium rationis consequentis, vitiosus est; est enim defectus motus simplicis in voluntate, quo aliquis, nō tam ex passione, sed, ex iudicio rationis pœnam infligit, ideoque non tam irasci dicitur, quàm iudicare. Quamuis & hic ipse simplex motus voluntatis *ira* appelletur. Ex quo necessariò, in homine, sequitur motus appetitus sensitivi, qui est cum passione, & cum corporis alteratione, vocaturque & ipse *ira*. Quoniam autem natura ita constituti sumus, vt in nobis appetitus inferior sequatur motū appetitus superioris, nisi aliquid repugnet; ideoque motus iræ in appetitu sensitivo, non potest penitus deficere, nisi per subtractionem vel debilitatem motus in voluntate existentis. Hinc fit, vt, sicut defectus voluntarij motus ad puniendum, iuxta iudicium rationis, est vitiosus, etiam defectus passionis iræ fiat vitiosus. Deficit ergo ira hæc & passionis, & rationis, in parentibus, qui filios peccantes non plectunt; cum ipsi à summo iudice plectendi. Et, licet *Comica lenitatis hi patres, tragica asperitatis illi* sint, neutrique laudandi, efficit tamen plerumque lenitas, quàm asperitas filios deteriores. Quibus parcere, est eos occidere. Vixissent longè diutiùs filij sacerdotis Heli, si eos parens castigasset: lenitate sua & ipse mortem incurrit, & filijs vitam accidit, clemens homicida.

Neque aliorum indulgentiã corrupti, in eorum laudes eunt, à quibus corrigi eos oporteret. Vt enim Diogenes Cynicus, cum esset conspicuus indecenter voracem puerum, pædagogo plagam incussit, inferens: *Vt quid ita imbuis?* ita iram quoque Numinis experientur, qui, quando officium exigit, non irascuntur. Sunt autem in hoc numero, non Pædagogi tantum & Magistri, qui sibi concreditos clientes discipulosque vino madidos, sine indignatione, aspiciunt; & non raro ipsi, vt profundius immergantur, propinant, vrgent, docent, non orare, sed potare, vt discipulos habeant ebrietatis; non, inquam, in hoc numero hi tantum sunt; sed alti etiam Magistratus, Principes, Reges, Imperatores. Celebrabatur aliquando Charillus, ibi Archidamas subiunxit: *Quinam hic bonus sit, qui nec improbus est acerbus?* Magistratum, Principem, Regem, Imperatorem, fulmini illi similem esse decet, quod mollia non lædit, dura conterit: ita enim & illi amabiles esse debent probis, improbis seueri; quia illi suauitate, isti metu reguntur. Improbus,

R 3

qui

VI.  
MAGISTRATUS  
NON IRAS-  
CENTIS CVL-  
PA.  
Cælius lib. 26  
cap. 27.

Plutarch. de  
discernendis  
adulatoribus,

qui non timet, quiduis audet. Princeps ergo, qui non potest irasci, qui bile caret, qui columba sine felle, agnus sine dente vocatur, quia non metuitur, merito ipse metuere debet iram Dei omnipotentis. Est enim causa maximorum, in Repub. malorum. Nulla sub eo iustitia, nulla securitas; sed perfidia, proditioes, libidines, & omnis iniquitatis ac impuritatis machinationes, sub eo, vigent. Venduntur iudicia, emuntur sententiae, proscribuntur leges; & pecunia ab hoste donata aequè est chara, ac si à Principe proprio venisset. Quid enim? aiunt, si fraus succedit, opes crescent: si deprehendor, non periclitor, Princeps enim meus, sponsia mollior est, nequit irasci, quid igitur obstat, quò minus illius causam pronunciem esse iustiore, cuius manum in me experior largiorem? Promittit hostis grandia; maiora sunt munera, quàm stipendia; illi serui, à quo plus accipio. Nihil mihi est timendum, sub magistratu non irascente; vigilet ergo audacia, iustitia dormiente. Facere iubet mala, qui non punit. Qui tolerat adulteria, est in alieno crimine, adulter. Qui dissimulat malum, facit malum. Ita etiam alioqui bonus princeps, castus rex, & integritatis amans magistratus, causa est omnium, in ciuitate, prouincia, regnouè, malorum, si nunquam irascitur. Quibus proin merito dici potest: *Irascimini, & nolite peccare*: nam & sine peccato irasci, & ni, cum res exigit, irascimini, peccare potestis. Hæc ira, non est contra charitatem, sed ad charitatem originem suam refert. Immo odit, qui non punit. Quod enim de filiis, id & de alijs subditis dici intelligique debet. De filiis autem dicitur: *Qui parcit virga, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Quantum autem oderit, è D. Chrysostomo accipe: *Hos ergo patres, ait, quod nemo tamen me commotius dicere, quàm verius existimet, parricidis ipsis immaniores sceleratiorisque dixerim. Illi enim corpus ab anima disseparant; isti & animam, & corpus aternis ignibus tradunt. Atque is quidem, qui corpore occiditur necessario naturali lege, etiamsi necatus non fuisset, moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi consciuisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superueniens protinus resurrectionis gloria delere poterit facillimè, anima verò interitum nihil soluere poterit, cum sibi nulla tam sit reliqua salutis spes, verùm immortales cruciatus luctu cogatur. Itaque non iniuria parentes (& magistratus) eiusmodi deterio-*

Prou. 13. 24.  
S. Chrysof.  
lib. 3. aduers.  
vituperato-  
res vit. mon.

deteriores parricidis esse diximus. Hac de causa Sapiens ait: *Tu virga* Prou. 23. 14.  
*percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.*

Quod de Concionatoribus ipsis occini potest. Nam si Cyni-  
 corum vertex Diogenes sapienter putatur locutus, quando, auditis  
 Platonis laudibus, dixit: *Quid verò habet ille præclari, qui tam diu*  
*Philosophiam professus, nemini acerbus fuit?* quid ad Concionatores  
 dicet iudex Deus, qui floribus tantum verborum student? qui mul-  
 cere aures, non corrigere mores populi volunt? qui iucunda, non  
 vtilia proferunt? qui semper auditores laudant, nunquam emen-  
 dant; Encomiastæ, non Ecclesiastæ? qui, ut ipsi nunquam sunt in  
 dicendo vehementes, ita neque alios vnquam commouent vehe-  
 menter? vitij placati, non irati: Mitiones, non Cicerones: deni-  
 que *canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & aman-*  
*tes somnia.* Ad hos utique etiam Deus de cælo clamor: *Iraescimini,*  
*& nolite peccare;* peccabitis, si non irascamini; ira iusta est, contra  
 iniustos detonare; exagitare impuros; superbos debellare; lurco-  
 nibus non parcere; inuidiam stilo confodere; proscribere iracun-  
 diam; & in vitia non esse clementem. Est, clament, qui, tanquam  
 podagræ, se tangi non sinunt: est, nimium dici videatur illis,  
 quibus nullum scelus est nimium. Dixit & Christus vehementer,  
 sed dixit vtiliter; dixit *ita, ut non possent panem manducare.* Et, cum  
 audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim: *Quoniam in furorem*  
*versus est.* Sinite hoc & de vobis dici, concionatores; vos, cum  
 Christo, *irascimini, & nolite peccare* parcendo. Vnusquisque sibi di-  
 ci putet: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; & annuncia*  
*populo me scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Sic irasci, est  
 sanare, non vulnerare; punire, non insanire: iudicare, non præ-  
 cipitare.

VII.  
 CONCIONA-  
 TORVM NOM-  
 IRASCIENTIVM  
 CVLPA.  
 Plutarch. de  
 virt. morali.

Isa. 56. 104

Marc. 3. 27

Isa. 58. 11

### PARS SECVNDA.

**H**Uc vsque de ira vtili & moderata libuit præmiari, qua  
 irasci quis potest, ut non peccet; nunc, quò tendimus,  
 pergemus, ad iram malam perniciosamque ante oculos  
 ponendam. Quæ homini semper in promptu, & ferè quotidiana,  
 magnum negotium facessit; immo, ni dometur, ex homine tetrum  
 ac rabidum canem, enimvero, suam belluam facit, eumque ad  
 omne

VIII.  
 IRAE MALAE  
 COMP. RATIO.

omne genus peccati impellit. Vnde & maximè indiget illà admonitione: *Irafcimini, & nolite peccare: vel potiùs illà, Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur, sed, velut Acherontica Alecto hydrii crinica adest Dirarum ab sede sororum Bella manu lethumq<sup>3</sup> gerens, Quæ si cui facem coniecit, & atro*

Virgil. lib. 7.  
Æneid.

*Lumine fumantes fixit sub pectore tadas,  
Savit amor ferri, & scelerata insania belli:  
Ira super: magno veluti cum flamma sonore  
Virgea suggeritur costis undantis aheni:  
Exundantq<sup>3</sup> æstulatices: furit intus aqua vis:  
Fumidus atque altè spumis exuberat amnis:  
Nec iam se capit unda: volat vapor ater ad auras.*

Herodot in  
Erato.

Ita enim irâ calentes æstuant, neque mentis impetum possunt cohibere; citiùs elephantum sub ala celent, & flammâ faciliùs in ore ardente opprimant, quàm in animo iram. Erumpit in oculos furor, in genas rubor, in linguam verba, in pugnos minacitas, nec pauci, Orestis instar, vi insanix, sibi digitum arrodunt, caput pugnis cadunt, aut parieti allidunt Furijs agitati. Lycurgus certè rex Thracix in furorem versus, crura sibi ipse amputavit. Nam illud minus fuit in Oreste, qui per insaniam sibi vestes dilaceravit, vnde & adagium ortum est, *Orestis pallium texere*, in eos qui parant munus abusufo; & apud Iudæos vfratissimum fuit, *scindere sibi vestimenta*, in signum indignationis. Cleomedem, seu Cleomenem scribit Herodotus, à Lacedæmonijs, quibus imperabat, primò expulsùm, pristinx quidem dignitati restitutum fuisse, non multò tamen post in tantam insaniam incidisse, vt cuique obvio sceptrum in faciem impingeret. Quod eum facientem propinqui soleis ligneis illigauerunt, & in carcerem coniecerunt: ybi arrepto custodis, seu carcerarij gladio, ab ima corporis parte ad verticem capitis, se dissecuit. Tam potens est ira degenerans in furorem. Harthbenus fuit athleta quispiam, ex Helsingia, nouem cubitis procerus, quem Saxo Grammaticus in tantas Furias testatur cecidisse, vt summas clypei partes corroserit, raptas ore prunas in viscerum ima transfuderit, crepitantia flammaram pericula percurrerit, atque ad extremum in sex athletarû suorum præcordia, furente manu ferrum conuerterit.

terit. Furori hoc ascribitur? Idem ira facit, quid non rodit? quem non mordet, cuius nomen non lacerat? quos non vel voto, vel ferro occidit? Atque id ut faciat, carbones & prunas irascendiq; materiam sibi ipsi ministrat. Habetque hic affectus sua incrementa. Quædam ira subito motu oritur, & citò iterum subsidit, multaque sæpe facit repentino impetu, quæ omitteret meditata. Non rarò enim habet *sanctiam* adiunctam, quæ est severitas excedens, etiam id crudeliter efficere gestiens, quod iure fieri posse videtur. Est enim cupiditas ad immanitatem prorumpens. Alia est ira durans, quæ *inimicitia* dicitur, & ut grauius feriat, ulciscendi tempus obseruat; quæ & *discordia* potest vocari, quam Cicero *iram acerbiorem, intimo odio & corde conceptam* appellat. Hæc quò diutius retinetur, eo magis crescit, sicut fœtus in vtero. Denique *feritas* est atrocissimæ cupiditatis rabies, vis in animo adedò accensa, & tam menti, quàm corpori imperitans, ut omnem prorsus rationis motum extinguat, feris & bestiis simillima; quæ omnes inuadit, innocentes æquè ac nocentes; nullo discrimine, *Tros Rutulusue fuit*: Hæc genera, atque hos iræ fœtus non ignorans Philosophus dixit: *Iracundi quidem celeriter commouentur, & in quos non decet, & quibus de causis, & vehementius, quam sat sit: sed facile ac citò etiam eorum ira desistit, quod in ijs est optimum. Acerbi agrè placantur, diuq; irati sunt: nam iram retinent: animum autem si semel expleuerint, tum modus apponitur. Ultio enim modum finemq; iræ adhibet, pro dolore voluptatem exhibens. In-fensos homines appellamus eos, qui quibus de causis minùs rectum est, irascuntur: & vehementius, & diutius, quàm ratio postulare videatur: eos etiam, qui non redeunt in gratiam, nisi ultio, vel animaduersio sit consecuta. Et alio loco: Iraparere quidem illa videtur, quodammodo rationi: sed non attentè eam audit; ritu canum, qui priusquam considerarint: sitne is amicus, qui pulsauit, allatrant. Sic ira feruore ac repentino nature motu incitata, audit illa quidem rationem: sed prescriptione non intellecta, ad supplicium se ultionemq; conuertit. Adedò furor iraq; mentem*

*Præcipitant.*

Potens est morbi huius remedium, cognitio illius. Quare sapienter fertur Plato auditores suos admonuisse, ut irati se in speculo contemplarentur. Nam dicebat, cum faciem suam furibundam,

Aristot. lib. 4.  
Ethic. c. 5.

Idem lib. 7.  
Ethic. c. 6.

Virgil. lib. 2.  
Æneid.

IX.  
IRA MALA  
VENIALIS, VES  
MORTALIS.

dam, per omnia, phrenetico similem viderent, eo dedecore terri-  
 tos, imposterum ab ira sibi facilem temperaturos. Est autem ira vi-  
 tiosa, *immoderata cupiditas puniendi eius, à quo se quis laesum arbitra-*  
 tur De hac ait S. Paulus: *omnis indignatio, & ira tollatur à vobis;*  
 illa scilicet *omnis*, quæ rationis excedit modum, ut S. Thomas mo-  
 net. Cum enim ira sit passio, passio autem appetitus sensitivi, ut  
 supra dictum est, eousque sit bona, quousque regitur à ratione,  
 mala ibi esse incipit, ubi velut torrens extra alveum effusus, ordinem  
 rationis excedit. Unde, si quis vindictam à recta ratione dictatam  
 meditetur, vocatur ira eius, *ira per Zelum*, estque laudabilis ille ap-  
 petitus. Sin autem vindicta, contra regulam normamque ratio-  
 nis, coquatur, ut vel puniatur is, qui non meruit; vel plus acerbi-  
 usque puniatur, quam meruerit; vel etiam non legitimo ordine,  
 aut non legitimo fine, qui est conservatio iustitiæ, & culpæ corre-  
 ctio; tunc appetitus iræ est malus ac vitiosus, nominarique solet  
*ira per vitium*; estque peccatum saltem veniale, si rationem præve-  
 niat, atque nimia passione erumpat, aut in modico vindictam ex-  
 petat, aut ad effectum gravem non perducatur. Etsi enim ira, quia &  
 charitati, & iustitiæ est contraria, ex genere suo, sit peccatum mor-  
 tale; potest tamen talis appetitus, ob imperfectionem actus, esse  
 tantum peccatum veniale. Quæ imperfectio actus vel oritur ex  
 parte appetentis, in quo motus iræ iudicium rationis prævenit; vel  
 ex parte appetibilis, quando scilicet aliquis, modicè duntaxat, &  
 in re nullius momenti, quæ quasi nihili esse putatur, se se vult vin-  
 dicare; quæ res ipsa si alteri inferretur, tamen mortaliter non pec-  
 caretur. Grauis & mortalis ira esset, si quis demissis, ut aiunt, au-  
 riculis, & deliberatè notabilem vellet vindictam, immerito, vel  
 maiorem, quam meruisset, vel propria auctoritate, vel contra ju-  
 ris ordinem, vel præcipuè, non amore iustitiæ, sed ut proximo ma-  
 le sit, ex odio & malevolentia, parare. Hæc sunt, quæ iram effi-  
 ciunt inordinatam, & frænum exigunt. *Esto, sit natura irasci*, ait  
 S. Ambrosius, *aut plerumque causa: hominis est tamen temperare ira-*  
*cundiam, non leonino raptari furore, non assuescere clamori, non serere,*  
*nec acerbare familiare iurgium; nec in fermento iacere, & stoma-*  
*chari,*

Aiebat porrò Democritus, *iram, quemadmodum canes, cacas*  
*criminationes parere.* Quod verum est; satis non est. Nascuntur,  
 enim ex illa plures filix, omnes vtiq; vt S. Gregorius monuit,  
 detestandæ: *rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blas-*  
*phemia.* Iratus siquidem, vt scloppus, igne admoto, illico in sonū  
 erumpit, & in rixas, & in clamores, & in indignationes, & in ipsum  
 Deum blasphemandum. Quin & mente intumescit, quia lædi, pu-  
 tat esse contemni. Hæ sunt filix iræ. Nec sufficiunt istæ. Quippe  
 ira intus in animo, tanquam Æthnæa quædam excitat incendia;  
 quæ prorumpunt in omnia animi vitia, & corporis membra; in-  
 flammæ oculorum; in ruborem vultus; in linguæ titubationem &  
 præcipitantiam; in celeritatem pedum, in pruritus manuum,  
 in pugnos & pugnas, in cædes, homicidia, parricidia, proditioes;  
 denique multi, vindictæ causa, Orco se atque Diris deuouerunt.  
*Nihil iracundo homine insuauius,* ait S. Chrysostronus, *nihil grauius,*  
*nihil infestius, turpius nihil, fera potius, quàm iracundo homini cohabi-*  
*tandum est.* Fit quippe & iracundus quodammodo bestia, & fera  
 feroxque bestia. Dum enim ex illata iniuria, vel iniuriæ opinione,  
 appetitus, ad vindictam repellendam, cum impetu, incitatur, ac-  
 cenditur, per eam vehementiam, sanguis & spiritus, circa cor, ac-  
 cedente etiam fellis euaporatione. Hinc cor palpitatur, tremit cor-  
 pus, titubat lingua, ignescit facies, obscurantur oculi, vt noti  
 non rectè noscantur. Nec de corpore duntaxat intelligendum est  
 illud: *conturbatus est a furore oculus meus:* sed multò magis etiam  
 de mente; ira enim rationem, sicut somnus, aut ebrietas impedit,  
 ligat, turbat. Hinc, irati lippiunt; hinc, vt defoculi, caligant;  
 hinc cæcantur. Hinc, ratione euersa, in insani modum Aiæcis ar-  
 mati & hominibus, & pecoribus infesti loris cædunt, & tota lani-  
 ant armenta; & dum porcos verberant, putant, se in Græcos inci-  
 disse. Hinc in ipsos filios, vt Athamas aut Agaue, tanquam in ho-  
 stes, irruunt. Hinc in furorem rapti

*Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,*

*Et solem geminum & duplices se ostendere Thebas.*

Hinc si vel digitulo tangantur, belluæ in morem, sauiunt, & in  
 omne crimen ruunt. Denique *ianua vitiorum omnium iracundia est,*  
 ait S. Hieronymus, *qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur quies:*

S 2

aperta

X.

IRAE EFFE-  
 CRVS.  
 Maxim. ferm.  
 de Ira.  
 S. Gregor. lib.  
 31. Mor. c. 31.  
 seqq.

S. Chrysostr.  
 hom. 29. ad  
 pop. Antiochæ

S. Damascen.  
 lib 2. c. 26. de  
 fide orthod.

Psal. 30. 10.

S. Greg. lib. 5.  
 Mor. c. 31.

Virgil. lib. 4.  
 Æneid.

S. Hieron. in  
 Prou. 13. c. 29.

dam, per omnia, phrenetico similem viderent, eo dedecore terri-  
 tos, imposterum ab ira sibi facilem temperaturos. Est autem ira vi-  
 tiosa, *immoderata cupiditas puniendi eius, à quo se quis laesum arbitra-*  
 tur De hac ait S. Paulus: *omnis indignatio, & ira tollatur à vobis;*  
 illa scilicet *omnis*, quæ rationis excedit modum, ut S. Thomas mo-  
 net. Cum enim ira sit passio, passio autem appetitus sensitivi, ut  
 supra dictum est, eousque sit bona, quousque regitur à ratione,  
 mala ibi esse incipit, ubi velut torrens extra alveum effusus, ordinem  
 rationis excedit. Unde, si quis vindictam à recta ratione dictatam  
 meditetur, vocatur ira eius, *ira per zelum*, estque laudabilis ille ap-  
 petitus. Sin autem vindicta, contra regulam normamque ratio-  
 nis, coquatur, ut vel puniatur is, qui non meruit; vel plus acerbi-  
 usque puniatur, quam meruerit; vel etiam non legitimo ordine,  
 aut non legitimo fine, qui est conservatio iustitiæ, & culpæ corre-  
 ctio; tunc appetitus iræ est malus ac vitiosus, nominarique solet  
*ira per vitium*; estque peccatum saltem veniale, si rationem præve-  
 niat, atque nimia passione erumpat, aut in modico vindictam ex-  
 petat, aut ad effectum gravem non perducatur. Etsi enim ira, quia &  
 charitati, & iustitiæ est contraria, ex genere suo, sit peccatum mor-  
 tale; potest tamen talis appetitus, ob imperfectionem actus, esse  
 tantum peccatum veniale. Quæ imperfectio actus vel oritur ex  
 parte appetentis, in quo motus iræ iudicium rationis prævenit; vel  
 ex parte appetibilis, quando scilicet aliquis, modicè duntaxat, &  
 in re nullius momenti, quæ quasi nihili esse putatur, se se vult vin-  
 dicare; quæ res ipsa si alteri inferretur, tamen mortaliter non pec-  
 caretur. Grauis & mortalis ira esset, si quis demissis, ut aiunt, au-  
 riculis, & deliberatè notabilem vellet vindictam, immerito, vel  
 maiorem, quam meruisset, vel propria auctoritate, vel contra ju-  
 ris ordinem, vel præcipuè, non amore iustitiæ, sed ut proximo ma-  
 le sit, ex odio & malevolentia, parare. Hæc sunt, quæ iram effi-  
 ciunt inordinatam, & frænum exigunt. *Esto, sit natura irasci*, ait  
 S. Ambrosius, *aut plerumque causa: hominis est tamen temperare ira-*  
*cundiam, non leonino raptari furore, non assuescere clamori, non serere,*  
*nec acerbare familiare iurgium; nec in fermento iacere, & stoma-*  
*chari,*

Aiebat



Aiebat porrò Democritus, *iram, quemadmodum canes, cacas*  
*criminationes parere.* Quod verum est; satis non est. Nascuntur,  
 enim ex illa plures filix, omnes vtiq; vt S. Gregorius monuit,  
 detestandæ: *rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blas-*  
*phemia.* Iratus siquidem, vt scloppus, igne admoto, illico in sonū  
 erumpit, & in rixas, & in clamores, & in indignationes, & in ipsum  
 Deum blasphemandum. Quin & mente intumescit, quia lædi, pu-  
 tat esse contemni. Hæ sunt filix iræ. Nec sufficiunt istæ. Quippe  
 ira intus in animo, tanquam Æthnæa quædam excitat incendia;  
 quæ prorumpunt in omnia animi vitia, & corporis membra; in-  
 flammæ oculorum; in ruborem vultus; in linguæ titubationem &  
 præcipitantiam; in celeritatem pedum, in pruritus manuum,  
 in pugnos & pugnas, in cædes, homicidia, parricidia, proditioes;  
 denique multi, vindictæ causa, Orco se atque Diris deuouerunt.  
*Nihil iracundo homine insuauius,* ait S. Chrysofomus, *nihil grauius,*  
*nihil infestius, turpius nihil, fera potius, quàm iracundo homini cohabi-*  
*tandum est.* Fit quippe & iracundus quodammodo bestia, & fera  
 feroxque bestia. Dum enim ex illata iniuria, vel iniuriæ opinione,  
 appetitus, ad vindictam repellendam, cum impetu, incitatur, ac-  
 cenditur, per eam vehementiam, sanguis & spiritus, circa cor, ac-  
 cedente etiam fellis euaporatione. Hinc cor palpitatur, tremit cor-  
 pus, titubat lingua, ignescit facies, obscurantur oculi, vt noti  
 non rectè noscantur. Nec de corpore duntaxat intelligendum est  
 illud: *conturbatus est a furore oculus meus:* sed multò magis etiam  
 de mente; ira enim rationem, sicut somnus, aut ebrietas impedit,  
 ligat, turbat. Hinc, irati lippiunt; hinc, vt defioculi, caligant;  
 hinc cæcantur. Hinc, ratione euersa, in insani modum Aiæcis ar-  
 mati & hominibus, & pecoribus infesti loris cædunt, & tota lani-  
 ant armenta; & dum porcos verberant, putant, se in Græcos inci-  
 disse. Hinc in ipsos filios, vt Athamas aut Agaue, tanquam in ho-  
 stes, irruunt. Hinc in furorem rapti

*Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,*

*Et solem geminum & duplices se ostendere Thebas.*

Hinc si vel digitulo tangantur, belluæ in morem, sauiunt, & in  
 omne crimen ruunt. Denique *ianua vitiorum omnium iracundia est,*  
 ait S. Hieronymus, *qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur quies:*

S 2

aperta

X.

IRAE EFFE-  
 CRVS.  
 Maxim. ferm.  
 de Ira.  
 S. Gregor. lib.  
 31. Mor. c. 31.  
 seqq.

S. Chrysof.  
 hom. 29. ad  
 pop. Antiochæ

S. Damascen.  
 lib 2. c. 26. de  
 fide orthod.

Psal. 30. 10.

S. Greg. lib. 5.  
 Mor. c. 31.

Virgil. lib. 4.  
 Æneid.

S. Hieron. in  
 Prou. 13. c. 29.

S. Greg. 1. 8.  
reg. cap. 5.

XI.  
TRAGICA  
IRASCENTIS  
HISTORIA  
Ex his Philip.  
Doulterman.  
in Pædagogo  
Christiano  
cap. 7. §. 7.

Stobæus ser.  
18 Horat. 1. 3.  
epist. 3.  
Senec. lib. 1.  
de ira cap. 1.

Sallust. in Lu-  
guth.  
Cic. lib. 4.  
Tuscul. qq.

aperta verò ad omne facinus armabitur manus. Cuius rei breue, sed luculentum exemplum apponâ, è quo perspicuum est, quàm & ira hominem turbet, & nihil decernendum sit de vindicta, nisi cum ira derferbuerit, iuxta illud D. Gregorij: *Quoties ira animum inuadit, mentem edoma, vince teipsun. Differ tempus furoris, & cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. Ira enim in vindicta malorum sequi debet rationem animi, non praire, ut quasi ancilla iustitia post tergum veniat, & non lasciua ante faciem prorumpat.* Exemplum est istud.

Simon Goulart, in historijs nostri temporis, & Liber primus conformitatum admirandorum antiquorum cum huiusce temporis, referunt, virum quendam agricolam, postquam

*Sole sub ardenti, flauentia messuit arua,*  
dum in agro manipulis colligendis colligandisque occuparetur, filium misisse, qui nescio quid domo afferret. Filius, ut ea fert ætas, vel in via cum æqualibus lusitans, vel fugitans laboris, moras longiores traxit. Pater, expectatione sua tardiùs redeunte nato, primùm numerare tempus, mox impatienter moramentum ferre, variasque secum morandi causas expendere, tandemque ita excaudescere cœpit, ut de eo verè credi posset, quod Cato Priscus dixit: *Iratum ab insano, non nisi tempore distare: iste semper, ille ad tempus insanit.* Quodque vel Horatius scripsit: *Ira furor breuis est* (vel, ut Themistius loquitur, *breuis insania*) pro oraculo haberi potest. Si quidem, præ reliquis iræ affectus *totus concitatus, & in impetu doloris est: armorum, sanguinis, suppliciorum, minimè humana feruens cupiditate: dum alteri noceat, sui negligens; in ipsa irruens tela, & ultionis secum multa tractura audis.* Equè enim ira impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consilijsque præclusa, vanis agitata causis, ad dispectum æqui verig, inhabilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressere, franguntur. Hæc, uti Philosophus descripsit, in colono irascente, omnia apparuere. cum enim irâ non caleret, sed æstualet, tanquam redeuntis tarditate in amentiam datus, ita sanguinem suum, in suo filio, excepit segniùs reuerso. Suffecissent, ad eum castigandum verba; alapæ tres testudineum gradum satis puniuisent, aut scutica circum pedes vibrata. Sed *cupido & ira pessimi sunt consultores, & furor prædominans non patitur moderationem, nam, ut rectè dixit Ennius, iuitium est insania.*

*ſania.* Iraque glebam, ligna, lapides, & quidquid obuium furor præbuit, vi maxima, in puerum coniecit. Non eſt telum, poſtquam manu fugit, in noſtra poteſtate, neque ſemper volat, quò deſtinatur. Quare fortasſe & colonus iſte plus nocuit, quàm voluit. Certè, poſtquam nocuit, tantum voluiſſet non nocuiſſe. Illi enim, cui vitam dedit, tot iaculis ic̄to vitam effudit, quæ cum ſanguine effluxit. Verè ita ſe res habet: *ſinis ira, initium eſt pœnitentiæ.* Vix filium agricola ſtrauit, & mox damnauit, quod fecit. Iacentem namque, ſine anhelitu, ſine motu, ubi vidit, deſijt furere: immò tum demum magis cœpit inſanire. Ira enim in pœnitentiam doloremque verſa, in ſe clarè oſtendit, iratos ruinis eſſe ſimiles, *quæ ſuper id, quod oppreſſere, franguntur.* Quia enim plerunque iracundus, cum irac̄i deſierit, tunc irac̄itur ſibi, tantus eum occiſi filij ſubiijt dolor, vt ad extrema ſe ſe conſilia conuerteret, ſibi que iam ipſi flagrantiffimè inſenſus, deſperatiſſima cogitaret. Vt ergo nimia ira *eſtrationi conſilijsq; præcluſa*; ita, filij cadauere manipulis tumultuariè tecto, domum è rure turbatus cucurrit. Domi, neque vxore, neque filio infante ſalutato, in horreum ingreſſus, arrepto laqueo, ex alta ſe trabe ſuspendit. Sedebat tunc à recenti partu in balneo vxor, infantulo ad vbera harente, cui verna ruſticum adeò intempeſtiuè ex agro reuerſum curioſius obſeruans, cum triſtem ſcenam repente nunciaviſſet; exiliens illa, horrore ſubito correpta, è balneo protinus ad horreum aduolauit. In tanta autem perturbatione, feſtinationeque, & ſui & prolijs oblita, infantem neglexit, qui interea balnei aquis eſt ſuffocatus. Vtrinque ergo tragœdia ſe exeruit. In horreo, in felix mulier maritum vidit pendere in ſublimi: inde ad balneum triſtis reuerſa, extinctum infantem in imis aquis demerſum inuenit. Tertio iam funeri cauſſam dederat ira coloni, & nondum deſauerat: nam tot malis ic̄ta & ipſa mater, poſt inſolubiles planctus, & eiulatus, in deſperationem data, ad horreum eſt regreſſa; oſtioque & omni aditu diligenter occluſo, ſe ex eadem infelici trabe, iuxta pendulum & adhuc calentem maritum ſuspendit. Ita, vno die, quatuor fueribus ira mundum inceſtauit. Cauſſa mali ira fuit, tantæ autem iræ, puerum in plateis, cum æqualibus luſiſſe, vel paulo diutiùs confabulatum eſſe. Comparete cum vindicta culpam, & inde iram aſſimate. Quæ & in vobis leuiſſima de cauſſa exardeſcit.

*Esse negas coctum leporem poscisq; flagellum,  
Manis Cinna cocum scindere, quam leporem?*

Senec. l. 1. de  
ira c. 2.

inquit Martialis. *Quid gladiatoribus, ait alius, quare populus irascitur? & tam iniquè, ut iniuriam putet, quòd non libenter pereunt? Et pueri, si ceciderint, terram verberari volunt, & saepe nesciunt quidem cui irascuntur, sed tantùm irascuntur sine causa, & sine iniuria.* Quoties nos coco, quoties equo, quoties cani irascimur latranti? quoties calamo è quo sepia non fluit, quia malè à nobis fissus est, succensemus, eumque in mensa contudentes diffringimus? quin & ianux stridenti, & frigido, vel calido cœlo, & viæ prolixiori, & cultro non satis acuto, & denique cui non indignamur? Etiam nobis ipsis. Timanthes Cleonæus athleta, cum, & viribus senio defectis, & de consuetudine, ingentem arcum non posset intendere, quem iuuenis lunabat & flectebat, furori adeò indulgit, ut eam tantùm ob rem gladio seipsum peremerit.

XII.  
IRATI ET IN-  
SANI COMPA-  
RATIO.  
Senec. ep. 18.  
ad Lucil.  
Laert. in eius  
vit.

Plato lib. 5.  
de Rep.

Senec. lib. 1.  
de ira, c. 1.

Quarò, an sic irasci, non sit insanire? an talis non possit iracundior Adriam putari? Quod igitur in alio detestamur, cur amamus in nobis? Siquidem, in vnoquoque homine, ut vel Epicurus agnouit, *immodica ira gignit insaniam*; & ut Bias apud Laërtium pronunciauit, *bono consilio, duo maximè contraria sunt, FESTINATIO, & IRACUNDIA. homo enim iracundus, cum extra seipsum sit, vacuus est omni consilio.* Et ira facit à se ire. Iratos, inquit Cicero, *proprie dici- mus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente.* Quod, teste Platone, contingit illis, qui more canum sæuiunt in lapidem. Duo sunt, quæ insaniam produunt, vnum omnibus patet, alterum in effectu detegitur. Illud est corporis commotio, istud præcipitatio sententiæ in grauissima damna erumpentis. Multi vnum, multi vtrumque in se reperient, si intueri se velint insanientes. De primo nos supra fecimus mentionem, Seneca sic loquitur: *Ut autem scias, non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam, ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, certus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrante & micante oculi, multus ore toto rubor, exastuante ab imis præcordys sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus vocatus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus mugitusq;.*

mugituq̄, & parum explanatis vocibus sermo praruptus, & complose sapius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq̄ minas agens, facta visu & horrenda facies deprauantium se, atque intumescantium. Nescias utrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Deformitatem etiam D. Chrysoſtomus proponit in hunc modum: Videbis iratos non secus ac insanos, turpiter in medium precipites ferri: cum enim circa praeordia efferbuit ira, ignem emittit; tota inflatur facies, incomposita manus mouentur, & cetera. Cum hac faciunt, tanquam amentes, nihil sentiunt, nihil intelligunt, sed asinorum more, calcibus morsibusq̄, inuicem insultant. Ridiculum est spectaculum, videre duos sic inuicem insanientes; & ora, tanquam infernalium monstra serpentibus succincta deformantes. *Qualem putas animum, cuius extra imago tam foeda est?*

Verum insaniam hanc effectus alij detestabiliores reddunt. Numquid enim parens ille puero, ob tam leuem & exigua noxam, in tantum irasci debuit, ut eum lapidibus peteret? ut conſauciaret? ut occideret? Sed hoc exordium duntaxat fuit. *Cetera vitia impellunt animos, ira precipitat. Ceteris etiam si resistere contra suos affectus non licet, at certe affectibus ipsis licet stare: hac non secus quam fulmina procellaq̄, & si qua alia irrationabilia sunt, quia non eunt, sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit.* Quare ira primum ex patre tyrannum, mox ex homine, belluam fecit. Itaque in filium erupit. Filio sublato, in authorem reuersa, eum ad restim adegit. Sic vno vitio duo ceciderunt. Nimirum, teste S. Basilio, quemadmodum torrentes ad curua loca decurrentes secum obuia quaque trahunt: sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurreunt atque obruunt. Quod & in exemplo nostro fuit videre. Neq; enim ira filium duntaxat & patrem interemit in desperationem versa; sed etiam causa fuit; ut infans mergeretur, & ipsa denique mater totius se faceret calamitatis appendicem, ita vitæ prodiga adeo naturæ oblita, ut nec barbarus ex triuio id vnquam facturus fuisset.

Tristis est hic euentus & dignum tragœdia argumentum, qua Orestes, aut Oedipus ageretur. Sed nec à quotidianis moribus alienus. Quid enim ira non dicit? quid non facit? nunquam nisi infixo aculeo fugit, more vesparum, aut crabronum, quos quispiam irritauit, Profecto ita est, si effectus eius damnaq̄ intueri velis, nulla pestis

S. Chrysoſt.  
hom. 3. in Io,

XIII.  
PATRIS IRA  
QVO SEVSQVE  
EXTENDERIT?  
Senec. lib. 3.  
de ira. c. 1.

S. Basilius de  
ira.

XIV.  
EX IRA QUAM  
TAE CLADES?

Senec. lib. 1.  
de ira. c. 2.

pestis humano generi pleris fecit. Videbis cedes ac venena, & reorum mutuas sordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum, sub civili hasta capita venalia, & subiectas tectis faces, nec intra moenia coercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relacotia. Aspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiicit. Aspice solitudines, per multa millia, sine habitatione, desertas: has ira exhaustit. Aspice tot memoria proditos duces, mali exempla fati, alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mense ira percussit; alium inter leges celebrisq; spectaculum fori lancinavit; alium filij paricidio dare sanguinem iussit; alium seruili manu regalem aperire iugulum; alium in cruce membra diuidere. Et adhuc singulorum supplicia narro. quin, si tibi libuerit, relictis, in quos ira viritum exarsit, aspice caesus gladio conciones, & plebem immisso milite contrucidatam, & in perniciam promiscuam totos populos capitis damna passos.

## XV.

IRASCENTI-  
BUS OMNIA  
PLENA.

Sabellio. l. 19.  
cap 3

Niceph. l. 12.  
hist. Eccl. cap.

40 Sigon. de  
Occid. Imp.

lib 9. Baron.  
Aa. 390.

Nec apud Ethnicos hac tantum ira gessit. Etiam apud Iudæam gentem extant varia & atrocia huius vitij exempla, & in ijs illud Saulis regis, qui ob Dauidem quem insensè oderat, quia apud Amalech fugiens ille in hospitio fuisset, regia ira ignarum non solum hospitem ipsum, sed Nobeam etiam hospitalem urbem incendit, civibusq; omnis sexus & aetatis ferro deditis. Fuitq; miserabilis illa clades eò calamitosior, quòd quinque & octoginta sapientia & diuinatione illustres viri Abimelech causa extremo sint supplicio affecti. Dominatur etiam sæpe in Christianos, adigitque eos agere minimè Christianè. Notum est, Theodosium Imp. Theſſalonicę, ob vnus ex aulicis, in populari tumultu, occisi necem, adeò excanduisse, vt septem ciuium millia, spectaculorum exhibendorum specie, vnum in locum congregata, inaudita barbarie, occidi iusserit. Notum, quoties hodieque in aulis, vnus verbi offensio, officium, gratiam, fortunas, sæpe & vitam, sæpe & totam prouinciam perdat. Odiosum est, & periculosum recentia nominare. Linguis minùs attenditur, quàm calamis. Tutius ista dicuntur, quàm scribuntur. Quanquam, quid opus est, exempla è palatijs petere? rure & in pagis, & in humilibus casis plurima occurrunt. Ibi quoties sudibus agitur? quoties vomeres vertuntur in enses? nec parentes modò in filios, sed filij in patres, filix in matres insurgunt, illisque comam de capite, plenis manibus, vel de barba furibundæ extirpant? Quot intra moenia, liuores aspiciamus

in vultibus vna nocte natos? quot cicatrices numeramus? Quod & inter eos ipsos socios sodalesque contingit, qui fratres, qui vna esse anima videntur. Quidam etiam nulla re laceffiti irascuntur. *Caelius senator iracundissimus ille mortaliū, clienti suo in omnibus sibi consentienti, atque omnia confitenti irascens exclamavit: Dic aliquid contra, vs simus duo. Durum caput qualiter tulisset iniurias, qui obsequium non ferebat?* Nonnulli ipsa hilaritate offenduntur. Quærunť causas, fingunt iniurias. Ioco lusit, inter bibendum, Euryalus, & extemplo illi in faciem volauit cantharus. ibi amicitie characterem impressit. Pudet, altero die, sobrios causam fateri; erubescunt dicere, se heri ab ira fuisse dementatos, malunt se à vino victos accusare; & aiunt, se ebrios, in tenebris, cecidisse per scalas, aut murum, per imprudentiam, vehementius osculatos esse. O miser, dic veritatem, non tu murum, sed te cantharus à combibone insano in faciem missus basiauit; sed vitrum intra dentes contritum osculo te hoc, & his genarum rimis & sulcis decorauit. Hoc fateri erubescis, quia ipse non audes te, ac percussorem tuum, de tam insano furore contemibilem futurum, maculare. Sed hæc leuiores sunt; ad contumelias, ad cultros & pugiones, ad lethales plagas, ad venena, ad proprias neces, ad æternos ignes venit, per iram, è vultu, verbo, vel re vilissima exortam. Quod ipsum est magnum insanie argumentum. Vt enim non nisi stulti atque insani seipsos solent verberare; ita in seipsum nemo vel pharmacis, vel laqueo, vel ense sæuit, nisi qui, præ ira, de potestate mentis exiuit, & homo esse desijt, in bestiam affectu immoderato mutatus. Qui autem seipsum in perpetuos Acherontis cruciatus, per iram, conijcit, quem magis punit, se, an eum, quem percutit? Et si vel maximè corpus alterius occidit, numquid sibi magis nocet, quem mittit in gehennā? Nonne hoc est esse furiosum?

Nihil æquè profuit iratis, quàm agnoscere, nihil inter insanum & iratum esse. Quanquam etiam magnum iræ remedium est dilatio, vt primùm eius feruor relanguescat, & caligo, quæ mentem premit, aut decimat, aut minùs densa sit. Sic iram pressit David impetumque verborum silentio frænauit. Hinc de se dicere audeť: *Turbatus sum, & non sum locutus.* Architas Tarentinus cùm in agro comperisset, quosdam è famulis admisisse quiddam indignum, sen-

T

tens

Francisc. Petrarch, dial. 107.

XVI.  
REMEDI  
CONTRA IRAM,

Psalms, 4. 3.

Cic. lib. 4.  
Tusc. q. 9. &  
S. Ambros.  
l. 1. offic. c. 21.  
Laërt. in vit.  
Socrat.  
Valer. Max.  
lib. 4 cap. 1.  
Laërt. lib. 3.  
Plutarch. in  
Vit. Augusti.

tiens se commotiorem in illos, nihil quidem tum fecit, tantum abiens: *Fortunati, inquit, estis, quod irascor vobis.* Socrates iratus filio aliquid delinquenti, nihil aliud dixit, quam: *Ipse te coërce; & seruo delinquenti; caderem te, nisi irascerer.* Quod ab illo & Plato didicit, qui famulo iratus, itidem dixit: *Loris te caderem, ni iratus essem: & alia vice, seruum castigare parans, interuenienti Xenocrati, Flaggella hunc puerum, inquit, nam ipse sum iratus.* Hoc Ethnici didicerunt, fecerunt, docuerunt. Turpe est, si idem facere nimis sibi graue iudicent Christiani. Athenodoro, ob senectutem, flagitanti, sibi ut liceret redire domum, Augustus concessit. At cum ille Cæsari dixisset: *Vale* (volens aliquod Philosopho dignum monumentum, apud illum, relinquere) adiecit: *Cæsar, cum iratus fueris, ne quid dixeris fecerisue, prius quam Græcarum litterarum XXIV. nomina, apud te recensueris.* Cæsar, ob hoc dictum, Philosophi dexteram amplexus: *Adhuc, inquit, te presente mihi opus est.* Tales monitores amemus, & cum non esse in vindictam præcipites iubemur, ne ob hoc ipsum, in monentem, irati vindicare nos cogitemus: iuxta illud:

Iac. 1. 19.

*Sit omnis homo veloc ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Sic irascemur non peccantes. Sin iram sinamus

Matth. 5. 22.  
Iac. 1. 20.

semper in ianuis excubare, & molossi instar allatrare, inuadere, lacereare quosuis; in illud incidemus: *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Hinc D. Ambrosius ab Imp. Theodosio præcipiti ira in Thessalonicenses acto, ac iam pœnitente legem condi voluit, ut, si qui ob maleficia Cæsaris edicto iuberentur occidi, id non nisi post trigesimum diem fieret; ut interea temporis maturo sedatoq; animo, ac rebus omnibus rationis libra perpensis, aut parcendum esse videretur, aut vindicandum. Idem, apud Poëtam parens

Statius lib. 8.  
Theb.

*Ille monet, ne frana animo per mitte calenti.*

*Da spacium, tenuemq; moram: male cuncta ministrat  
Impetus: hoc oro munus concede parenti.*





## PARS TERTIA.

**R**Æ ut varij sunt effectus, ita & varia genera reperiuntur. Quemadmodum enim etiam iratus & iracundus non sunt idem, licet sæpe in vno conueniant, ita neque vna ira idem est, quod altera. Potest aliquis timidus esse, & non timere. Potest alius timere, qui timidus non est; sicut ebrius fieri potest, qui non est ebriosus. Ita iratus potest non esse iracundus: iracundus potest aliquando iratus non esse. Cetera, quæ pluribus, apud Græcos, nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula non habent, præteribo, ait Seneca: etiamsi amarum nos, acerbumq; dicimus, nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum: quæ omnia irarum differentia sunt. Inter hos morosum ponas licet, delicatam iracundia genus. Quædam enim sunt ira, quæ intra clamorem consistant; quædam non minus pertinaces, quam frequentes; quædam senu manu, verbis parciores; quædam in verborum maledictorumq; amaritudinem effusa; quædam ultra querelas & auersiones non exeunt; quædam alta grauesq; sunt, & introrsus versæ. Ad eundem modum Cicero ait: In alijs iracundia dicitur, quæ ab ira differt, ut anxietas ab angore. Neque enim omnes sunt anxij, qui anguntur aliquando: neque anxij semper anguntur. ut inter ebrietatem & ebriositatem interest, aliudq; est, esse amatorem, aliud amantem. Itaque iracundia est propensio quædam & habitus ad iram; ira cupiditas doloris reponendi. Latius alij iracundiam longam iram esse volunt, & quasi odium. Ita enim de Claudio loquitur Suetonius: Ira atq; iracundia conscius sibi, utramque excusauit edicto, distinxitq;: pollicitus, alteram quidem breuem & innoxiam; alteram non iniustam fore. Ac sanè ira inueterata, est odium, quod qui iracundiam vocare velit, non multum est cum eo de nomine litigandum, quia hæc sermone communi sæpe confunduntur. Nostri illam iram celerem & acutam, istam maniam vocant, de qua illud Aristoteles monet: *Iram immortalem, cum sis mortalis, non serua.*

Dixi de celeri & acuta, quæ etsi excandescencia est quædam, ac ira velut incipiens & nascens, quanta tamen in damna præcipitet, in exemplo demonstraui. Est verò nihilominus, longè minoris culpæ ac reprehensionis: quia & rationi sæpe non relinquit tempus deliberandi & velut imber transit; & citò redit ad tranquillitatem, & denique

F I

Quò

XVII.

AN IRA ET  
IRACUNDIA  
SINT IDEM?  
Aristot. 4.  
Ethic. Ni-  
com. c. 5.  
Senec. lib. E.  
de ira c. 4.

Cic. lib. 4. 99.  
Tuscul.

Aristot. lib. 1.  
de anima c. 7.

Sueton. in  
Claud. c. 38.

Aristot. lib. 2.  
Rhetor. c. 21.

XVIII.

ODIUM NIHIL  
ES: E ALIUD,  
QUAM INVE-  
TERATAM  
IRAM.

Quò quisque est maior, magis est placabilis ira:

- Cic. lib. 1. de officijs.** Non verò audiendi sunt, qui graniter inimicis irascendum putant, idq̄ magni animi & fortis viri esse credunt, ait Tullius. Immo fortis viri est, ab ira non vinci, & in prouerbio habetur: *Boni viri citò moritur iracundia*: facile enim in eo charitas bene cogitat: cum interea odium sit cupiditas quadam, ut alijs malè sit, cum progressu aliquo & incremento; seu ira inueterata, & plena vindictæ, obseruans vltionis tempus. In qua proinde meditatè fiunt, quæ alteri mala cogitantur; quæque radices agit, & se placari non sinit; neque enim ut imber citò transit, sed, ut stagnum quoddam putrescit in bufones ac serpentes. *Ut non magno negotio flamma extinguitur in pilis leporinis, aut scirpis, aut stipulis accendi cœpta; at non item, si solida corripuerit: sic ira primùm gliscens facile vel ioco, vel risu compefcitur, cum videmus fumantem adhuc: quòd si processerit, vix villo negotio possit extingui.* Peiorem esse hunc irascendi modum etiam Valerius affirmat, dum ait:
- Valer. lib. 9.** *Ira quoque & odium, in pectoribus humanis, magnos fluctus excitant: procurfu celerior illa, nocendi cupidine, hoc pertinacius.* Pulcherrimè more suo, S. Ioannes Chrysofomus *Iratus animus*, ait, *est similis forocuidam pleno tumultu, vbi multus est euntium, & redeuntium clamor, camelorum ac asinorum fremitus, argentariorum & arariorum vtrinq̄ cudentium strepitus. At mitis mens, in solitudine montis vertici similis est, auram quidem habentis tenuem, purum verò radium, pura fontium fluenta, multasq̄, florum amœnitates: His amœnitatibus semper carent, apud quos ira & tristitia non citò cadunt. Semper enim vafaniunt, semper solicitè quærunt occasionem se vindicandi; nec vquam sapiunt. Per iram, inquit S. Gregorius, sapientia perditur, ut quid, quouè ordine agendum sit, omnino nesciatur. Ira, ait Salomon, in sinu stulti requiescit: Per iram vita amittitur, etiamsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est; Ira perdit etiam prudentes. Per iram iustitia relinquatur, sicut scriptum: Ira viri iustitiam Dei non operatur. Per iram gratia vitæ socialis amittitur: Noli, inquit Sapiens, esse asiduus cum homine iracundo. Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est: *Vir animosus* (seu cupidus circa opiniones tuendas) *suscitat rixas.* Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Per iram S. Spiritus splendor excutitur: quia contra scriptum est: *super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem**
- Plutarch. in moral.**
- S. Chrysof. hom. 24.**
- S. Gregor. 1. 5. moral. c. 31. Prou. 22. 24.**
- Iac. 1. 20. Prou. 22. 24. Prou. 16. 28.**
- Ephes. 4. 31. Isa. 66. 2.**
- & quie-

& quietum? Quis autem spiritus requiescat super odia nutrientem, & alta mente iras vindictasque meditantem, in exemplo memorabili perpendite, atque intelligite, quàm prope hæc ira accedat ad illum de quo dicitur: *Va terra & mari, quia descendit diabolus ad vos, Apoc. 12. 12. habens iram magnam*: magnam duratione; à condito enim orbe generi humano iratus est: magnam voluntate; quidquid enim mali inferre potest, conatur inferre: magnam damnis & effectu; nocuit enim toti humanæ genti, & corpori pariter atque animæ graues plagas inflixit. Hanc odiosam iram qui imitantur, reos esse iudicio sequens historia docet.

Curiosus Iurisperitus, author viris Principibus, de multatectione historica, acceptus: heterodoxæ quidem fidei, sed malorum facinorum non indiligens, nec semper maleuolus narrator, Philippus Camerarius recenset, cum Româ, per Picenum, iter unâ cum alijs faceret, transeundum sibi fuisse, per oppidum, quod hodie Terni nomen habet, veteribus *Interamna Umbria* est appellatum; situm in valle amœnissima & fertilissima, velut inter ramos *Naris* fluij. Municipium vetus Romani populi fuisse, plures antiquæ marmorum inscriptiones demonstrant; cuius Cicero, Liuius, Plinius, & alij meminerunt. Quippe aliam quoque Interamnam, ad Lirim fluium, in Latio, coloniâ Romanorum olim fuisse, eamque veteres Interamnam Lirinam appellasse, ad discrimen municipij, in Umbria, eiusdem nominis cum illa prius dictâ, Pighius annotauit. Igitur in ingressu Interamnæ illius, supra oppidi portam, in excelsa turri, ait se author ille. conspexisse tabulam, in qua affixi erant, ut quidem è terra procul cernentibus primo intuitu videbatur, complures vespertiliones. Prodest ignota loca peragrantibus, sciscitari frequenter: multa enim resciant interrogantes, quæ taciturni præterirent. Itaque cum etiam huic authori insolitum esset, ambigeretque, quid in tam conspicuo loco, atque in tabula illa oculorum curiositati proponeretur, quidam exposuit tragicum facinus, quod paulo antè eum diem, contigisset. Fuerunt, inquit, in hoc oppido, duæ prænobiles primariæque familiæ, ambæ, ut sanguine præstantes, ita altos etiam spiritu gerebant; & animos illis addebant opes: nam & diuitijs, & rerum omnium abundantia potentes erant, Ut ergo facile, inter eminentes, æmulatio, lites, innumeraque

XIX.

EXEMPLVM  
ODII INVENTE  
RATI.Philipp. Ca-  
merar. in  
operis horar.  
succisus.

Cent. 1, c. 84.

meræque causæ suspitionum atque odiorum existunt, ita longo tempore, hæ duæ familiæ capitales inimicitias inter se exercuere. Grauißima est & plus quàm plumbea ira in æternum odium degenerans, quæ neque moritur quidem cum irascente, sed etiam posteros, vt Hannibalem parens, adiurat, vt nunquam velint ignoscere. Itaque per multas iam ætates duæ domus istæ inter se se collidebantur, odiumque factum est hæreditarium; neque jam adultis oblatum, sed ingeneratum nascituris; & ne flaccesceret, assiduo partium sanguine irrigatum. Multis enim hic affectus subiecit, cultrum victimis. Rarò mensis exijt, quin, ex vna alteræue parte, aut vulnera, aut funera numerarentur. Plurimi quotannis vtrunque interfecti, plurimi cicatricibus sædatis velut stigmate aduersariorum notati fuerunt. Nemo, sine armis, in publicum processit: nemo ex illa gente hilaris domum rediit, nisi qui rediret cum triumpho, quòd aliquem sauciasset, aut mactasset. Tantus est iræ ignis, vt etiam sæpe sanguine ipso non possit extinguui. Quare non satis erat, tot hostias singillatim cecidisse: hecatombas sitiebant: stirpem totam vel agminatim extinguere aduersariorum, vel eaturuatim suam prodigere gestiebant. Audite, quanta in incendia erumpat furor, dum gignit, in scintilla non extinctus. Altera harum familiarum vindictâ flagrans, conuiuij, an alterius negotij titulo, conuenit in vnã domum. Ibi, inimiciarum commemorata diuertinitate, ac cædibus vtrunque factis, ordine recensitis; multis etiam, pro animi impetu, narratione auctis, nouis ignibus omnes exæstuarunt, atque in medium consultarunt: An non tandem compendium fieri posset odiorum? Quid, inquiebant, proficimus, si per insidias singulos venamur? quid iuuat, vnum è medio tollere, dum interea decem subnascuntur? Et quando tandem, hoc pacto, stirps tota à nobis eradicabitur? Non satis, immo nimis tardè irascitur, qui vindictam transmittit ad nepotes. Per sicarios quoque res lentè geritur. Qui vno conflictu animoso totas messes possent facere, magnum quid se fecisse putant, si dicantur, vnum è medio sustulisse. Audeamus aliquid animo dignum generoso. Manus iungamus. duplex splendor erit, si purpuream prætextam sanguine aspergamus. Nemo suis desiderijs meliùs satisfacit, quàm per se ipsum, Si primis hostijs non litabimus, nos ipsi hostiæ succidamur erimus.

erimus. Inulti non cademus, morientibus solatio erit, saltem ex hostibus etiam non paucos nobiscum occubuisse. Sint alij vindicandi modi, pessimus ijs, quos oderis, optimus tibi est, si verè odisti. Esto, periculum immineat, contemnendum est. Nunquam aliquid egregium audet, qui periculum timet. Maius est facinus, quod pluris constat. *Pigrum, quin immo iners videtur, sudore acquirere quod possis sanguine parare.* Ita animis incensis, statuerunt, vna vice, finire, quod iam tot lustris, per partes, quærebatur. Nempe vniuersam familiam aduersariorum, audaci impetu, aggrediendam atque funditus delendam, vna voce, omnes conclamauerunt. In hanc rem, è vicinis agris clientelisque suis, magnas hominum caterenas; alios quidem sub alio prætextu, alios verò clam ad se, in oppidum conuenire iusserunt. Hos domi quisque suæ idoneis telis armavit, sicariisque (quos *Prauos* inibi vocant) intermixtos, in prociectu stare voluit paratos, ad egregium aliquod facinus, signo dato, perpetrandum. Ah quid non audet ira! quid furor non potest, si sit armatus? Decesserat è terris dies, & subierat iam, criminum faultrix idonea, tenebrosa nox; cum, captatâ occasione, horaque destinatâ, vndique armatorum cohortes, magno silentio euocatos in Prætorium adduxerunt. Ibi præfectum oppidi, nihil tale metuentem obruerunt, atque exiguo labore, in potestatem suam redegerunt. Quem innocentiam suam obtendentem, omnia protestantem, cum minis, si clamaret, captum (relictis aliquot armatis, ad prætorium custodiendum, ne vigiles signum tumultûs ciuibus dare possent) quàm attentissimè secum traxerunt, ad ædes inimicas, ceteraque multitudine, in angiportu subsistere tantisper iussa, decem duntaxat, velut domestici eius, prætorem porrò perduxerunt. Ad fores vbi ventum, stricto vndique ferro præsentem ei necem comminari sunt, nisi illico, prætoriâ auctoritate, sibi ædes præciperet referari, diceretque, rem seriam incidisse, cum tota familia, ex templo pertractandam. Quid non potest metus mortis, præsertim inter manus tam temerarias? Nihil ergo mirum, si & Prætor ille, se se in insidias tam periculosas delapsum animaduertens, sicaque iam ad pectus admotâ, perterrefactus, quod cogebatur, fecit. Facile videbat, quò tempestas hæc tenderet; sed infra suum officium, esse putauit, morte sua, alios in vita conseruare. Paruit itaque, &

pro

pro imperio, iussit ædium ianuas aperiri. Qui intus erant, cum è fenestris Prætorem, vel de voce, vel de corporis habitu, & per tenebras, cognouissent, nullasque illo præsentem, insidias timerent, portas omnes ferratis alioqui postibus munitas, & quàm diligentissimè obseratas patefecerunt: utque via, ad cladem futuram, clarior esset, etiam cum facibus obuiam progressi, venientem per quam honorificè exceperunt. O quàm sæpe ignari sumus fati instantis! Quoties exitio nostro ianuam ipsi aperimus! Aditu vix patefacto, signum subsidiarij acceperunt, atque è latebris gladiatorio animo adfuerunt, & velut vrbe capta, in inquilinos cœperunt sæuire. Conuentum autem erat, ut prætor in vestibulo, custodibus adhibitis, teneretur; alij omnes in domum irruerent, quorum primi erant, qui prima familiæ capita dicebantur. Vidisses obstupescere famulos, exalbescere heros, clamare ancillas, dominaque eiulare, trepidare totam familiam; & jam ante ictum, formidine vulneratam. Sed longe funestius spectaculum erat, videre crudelitatis patratores, Furiarum instar, per totam domum, discurrentes. Illi enim planè Satanica rabie instigati, quotquot mortales reppererunt, immanissimis modis, mactatos interemerunt, nullo aut ætatis, aut sexus discrimine habito. Non illos molliuit innocentia infantum, non puerorum puellarumque blandæ preces flexerunt; non mouerunt supplices matronæ erinibus solum verrentes, quæ maritis, inter tot enses, cruentatis, genibus nixæ, passis capillis, vbera manibus planxerunt, atque vitæ veniam desperantes exulularunt. Nec senibus, quod alioqui parum supererat vitæ, relictum est. Quin & famuli cæsi sunt, quorum vnica noxa erat, apud inimicos latronum, seruiisse. Atque, ut sciamus, quam impotens animi sit furor; postquam nullus hominum supererat, qui caderetur, in stabulo, quotquot generosiores equi putabantur, ferro cadere debebant, ut iram satiarect victimarum multitudo.

Scenâ in hunc modum peractâ, multis adhuc palpitantibus, pluribus in frustra sectis, ac velut in macello iacentibus, Prætorem, nouo incusso metu, adegerunt ad portas oppidi recludendas. Quod ille, pauore attonitus, ac de sua salute incertus, illicò quanquam inuitus fecit. Tutissimum reis asyllum est fuga. Quippe audacissimum quemque, scelere parrato, inuadit metus; terrent pericula,  
premit

premit instans à tergo vindicta. Postquam igitur ex oppido euasere, proximum fuit, ut varia sibi latibula quarerent. Alij diuersos maris portus petierunt; alij, apud fideliores amicos, sperarunt se consecuturos securitatem. Sed mali principij malus est finis. Illi, beneficio interiecti maris, supplicio, non exilio, se subdixerunt; isti, tam horribilis carnificinæ rumore vulgato, perquisiti, pleriq; reperti, atque è latibus extracti, in vincula dati, tormentis examinati, supplicijs meritis affecti, membratimque pœna talionis dearruati concisiq; sunt. Abscisæ manus & præfecti pedes eorum, in tabula, quam intrantes oppidum, in turri supra portam, intuentur, suffixi, hominum oculis, in facinoris puniti exemplum, exponuntur, ut documentum omnium sint; & qui vini noluerunt prodesse, morte certè eorum Respublica utatur.

Exposui & ego hanc historiam, in exemplum, in quo, quid ira possit, graphicè demonstratur. Neque enim tantùm effrenes lingua, ora incustodita, contumelia, probra, verbera, & alia eiusmodi sunt iræ fructus; sed etiam, ut S. Basilus ait: *ob iram, ensis acuitur, mors homini ex homine venit; non eis senectus venerabilis, non vita virtus, non generis propinquitas, non parentes. Quin & maximum se in malum sapius conijciunt, & studio vindicandi seipsos negligunt. Nam & omni fera venenata impudentius ruunt; nec prius desistunt, quàm magno & intolerabili malo animum exatiarint. Membrorum mutilationes, vulnera, mortes, præmium pugna ferunt.* Sicut tulerunt isti, qui, quod alijs fecerunt, passi sunt. Nam membratim concisi, in sublimi tabula pependunt, & sole adusti, ob altitudinem turris, inscijs tragœdiæ illius, visi sunt esse vespertiones. Veri sanè vespertiones, quia vespere, immo nocte vsi sunt, ut in alienas aedes & neces inuolarent. At quid cum vespertilionibus hos comparo? qui feritate atque immanitate superant leopardos? Homine, dum in recto animi habitu est, nihil est mitius; cum irâ vincitur, nihil crudelius, infestius nihil. *Homo in adiutorium mutuum generatus est: ira in exitium. Hic congregari vult, illa discedere: hic prodesse, illa nocere: hic etiam ignotis succurrere, illa etiam charissimos petere: hic aliorum commodis vel impendere se paratus est: ira in periculum, dummodo deducat, descendere; immo descendere in omnem barbariem ac furorem; adeo ut nemo tam humilis sit, qui pœnam vel summi hominis sperare*

XX.  
REMEDIA  
CONTRA  
IRAM.

S. Basil. hom.  
10. de ira.

Vide Plutar-  
chi libellum  
de cohibenda  
ira.

Senec. lib. 1.  
de ira c. 5.

Athenæ l. 12.  
dipnos, c. 19.

Venerab. Beda  
lib. 2. super  
Parab.

Maxim. ferm.  
19.

Ephes. 4. 26.  
S. Augustin.  
ep. 100 ad  
Profuturam.

non audeat. ad nocendum enim potens est, quisquis non amplius timet, præ ira, ne sibi noceatur; quæ ita perturbat, ut iratus quæ noceat tantum, non quæ caueat, aspiciat. Quin superat belluam, qui furore efferatur; ut olim videre fuit, in Locrensisibus, qui iniuria publica affecti, de vxore & liberis Dionysij iunioris atrocissime se se vindicauerunt. Etenim cum, miris modis, in eos sæuissent, tandem contumeliarum numero fatigati magis, quam satiati, acubus intra ungues & carnem digitorum insertis dirissimo puncturatum cruciatu, eos interemerunt. Postea, conscissa minutatim carne, & ossibus occisorum in mortario contusis, eos omnes Diris deuouerunt, qui non aliquid inde gustauissent. Quidquid supererat, in pistrinum tulerunt, ut molis obrutum, ab ijs, qui fruges molebant, deuoraretur. Vides rabiem carniuorarum belluarum? Sat nobis causæ esset, ad iræ detestationem, quod ex homine bestiam faciat; fat ut citò atque in principijs suis extingatur, antè, quàm indomita fiat, sicut incendium, quod leui tactu potest impediri, si incintilla sopiatur. Quia *hac est natura ira: ait Venerabilis Beda, ut dilata languescat, & pereat: prolata verò magis ac magis conflagret.* Nempe quemadmodum nauis ventis agitata Ponto submergitur, nisi eam gubernator, sua industria, regat; sic iracundia hominem, ad deterrima quæque rapit, nisi ei ratio frenum inijciat ac moderetur. Sapiens est igitur præceptum, ut si ira subito nobis erumpit, non satis vigilantibus, saltem eam diutius fouere, ac retinere caueamus. Rectè ex Euripide tradidit Maximus monachus: sicut corpus nostrum mortale est: sic conuenire, ut iram habeat mortalem is, qui temperantia uti nouerit. Hinc Apostolus scripsit: *Sol non occidat super iracundiam uestram. Nolite locum dare diabolo.* Et S. Augustinus ait: *Subrepat, dum nulli irascenti ira sua videtur iniusta: ita enim inueterascens ira fit odium, dum quasi iusti doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totum acefcat, vasq; corrumpat. Quapropter multò melius nec iuste cuiquam irascimur, quàm velut iuste irascendo in alicuius odium ira occulta facilitate dilabimur. In recipiendis enim hospitibus ignotis, ista solemus dicere, multò esse melius, malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cauemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est, etiam ira iniusta pulsanti non aperire penetrale cordis,*



le cordis, quam admittere non facile reſſuram, & peruenturam de ſurculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam crefcere citius, quam putatur. Non enim erubeſcit in tenebris, cum ſuper eam ſol occiderit. Et memoria quò diuturnior, eò firmior eſt iniuriarum. Hinc Juſtinianus à Leone regno motus & naribus truncatus, recepto imperio, quoties deſluentis rheumatis guttam manu deterſit, toties aliquem ex ijs, qui partes aduerſarij, contra illum, ſecuti fuerant, præcepit iugulari. In vultu habuit læſionis monumentum, ea de cauſa non potuit offenſæ obliuiſci. Quid fieret, ſi Chriſtus ita nobiſcum ageret, qui manibus pedibusque & ipſi etiam pectori ſuo identidem videt inſcriptas cicatrices? & quidem noſtra immanitate inſcriptas?

PARS QUARTA.



ON inſcitè veteres finxerunt tres Furias, tortis anguibus, crinium loco, incinctas,

*Eumenides, quibus anguineo redimita capillo  
Frons expirantis præportat pectoris iras.*

ſiquidem è crinibus, de cauda equina, aut cæſarie anus abruptis, vel lapſis, aiunt, angues, aut anguillas naſci, ſi in aquam ſtagnantem iniſciantur, ac ſublime putreſcentes intumeſcant. Sed multò verius hæc moribus accommodantur. Quippe, etiam in diuinis litteris, capilli ſignificant hominum cogitationes, quæ iratæ ſi perſiſtant, in ſerpentes degenerant, & virulenta conſilia ſolent generare. Eiufcemodî conſilia oſtendimus, in exemplis ſatis truculentis, in quibus vtrique facem ſanguine madefactam, fluidoque cruore ſubentem pallam geſtat Erinnyſ, quam:

*Luſtus comitatur euntem,*

*Et paſor, & terror, trepidoque inſania vultu.*

Sunt enim irâ flagrantes terribiles; vulnera & mortes ſerunt, & in totas ſæpe familias, immo in ſuam gentè luſcîu inferunt. Quemadmodum Cambyſes fertur furijſ incenſus vniuerſam prope familiã deleuiſſe. Qua de cauſa metuuntur. Sed metuuntur ab ijs, qui in Chriſti ſchola nondum didicerunt vitam contemnere. Chriſtus aliter docuit, cum dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Certè multò æquius eſt, hunc

V 2

timere;

XXI  
IRATVS FV-  
RIAS SIMILIS  
Catull. de  
nupt. Peleï  
& Thet.

Quid. lib. 4.  
Metam.

Herodot. in  
Thalia.

Matth. 10. 28.

timere; qui utique est Deus iustissimè eos applaudens in Acherontem, qui illum non timent. Suprema hæc est potestas, neque competit, nisi supremo iudici, soli, de jure, terribili & metuendo.

## XXII.

IRATUS ETIAM  
ANIMAE AL-  
TERIUS EXI-  
TIUM STRUIT.  
PROV. 21. 19.

Affectant tamen eam potestatem, quos ira facit insanos. Nam ita nonnulli odijs exardescunt, ut, contra jus & fas, tentent, eorum, quos occisissimos volunt, & animam, & corpus perdere in gehennam: neque tentent tantum, verum etiam re ipsa faciant. An non hi meritò timendi, fugiendi, execrandi? Si enim *melius est habitare, in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda*, quis cum non declinet, qui non verba tantum ingerit, nec rixas modò commouet, ut mulier, sed etiam necem meditatatur; & quidem ita meditatatur, ut non sit contentus occidere corpus, nisi unà & animam perdat in gehennam? Quantæ iræ vindicta est, in homine, hominem eiusdem secum naturæ, & ad eandem secum Dei similitudinem factum, non hac mortali duntaxat vita priuare sed etiam vita priuare sempiterna, eumque mittere ad Orcum, & ignes semper arduos? Et tamen hoc faciunt multi, velut Tisphone, aut Aleto aliqua, furiosi, non jam cacodæmonum imitatores tantum, sed etiam cacodæmones ipsi. Vultis & huius rei exemplum? Innumera sunt quotidie eorum, qui nihil pensi habent, siue ad cælum, siue ad Orcum ituros occidant. Quin eò crescunt odia, ut cum morte contenti alteri inferre æterna supplicia, nullum vindictæ genus sufficiens arbitantes, nisi quod sit summum, & quodammodo infinitum. De quo tam atroci, & verè diabolicæ malitiæ odio historiam fide, non homine dignam accipite.

## XXIII.

IRAE SYMMÆ  
EXEMPLVM.  
Chapitre dis-  
huitième. &  
Io. Bodin. in  
dæmonoma-  
nia & lib. 4. de  
Rep. c. 1.

In libro enim Gallico, cuius titulus est: *Traite preparee al'apologie pour Herodote*, recenset author facinus, de Italo quodam, quale vix credi potest, hominem cogitasse, multò minùs, exuta omni humanitate, perfecisse. Hunc Italum (Bodinus Mediolanensem vocat) author ait, cum homine diu admodum familiari in disfidium venisse. Illud, cum paulatim glisceret, in odium excreuit capitale. Magna incendia, nisi magna vi, non extinguuntur; neque magna odia, nisi magnis vindictis, possunt saturari. Non ergo contentus erat Italus ille, verbis increpare eum, à quo se opere & facto læsum existimabat; aut magistratui illum obijcere puniendum; ipse & iudex & vindex, & carnifex esse voluit; & cum, modo

non,

non vulgari, occidere. Ac, ne quis præcipitem fuisse censeat, etsi quotidie occasionem captabat; immo, singulis pænè horis, eius necandi consilia agitabat; integros tamen decem annos, æstuantem in animo iram sustinuit; quasi tanto illi tempore opus esset, ad nefariam vindictæ cupiditatem explendam, quanto Græcis opus fuit, ad Troiam expugnandam. Nempe sæpius quidem inimicum habuisset in manu, sed non prout ei flagrans odium dictavit. Differre cædem maluit, vt à tempore exigeret vsuram crudelitatis. Vtinam alter tam in cauendo, quàm iste in nocendo attentus fuisset! vtinam legisset, vel meminisset illud Siracidæ: *Non credas inimico tuo in aeternum: sicut enim aramentum, aruginat nequitia illius: etsi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne fortè conuersus ad locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in nouissimo agnoscas verba mea, & in sermionibus meis stimuleris.* Sed mundus vult decipi; & pluri, qui fugiunt fidissimorum consortia, amant infames scopulos, & pessimorum sibi que insidiantium se sinunt decipi familiaritate. Quod & isti euenit. Siquidem vbi insidiator vidit, vim omnem manifestam, infra vota sua esse, & occulto astu plus aduersario noceri posse, quàm aperta manu, cœpit ad artes se conuertere hominum, malè Politicorum. Primùm eum iucundo vultu, & comibus oculis aspexit transeuntem. Mox etiã voce blanda salutauit. quin, & vrbano gestu se se illi videbatur submittere atque commendare. tandem alloquio etiã, se se profitebatur illi totum conciliatum. Quem non falleret tantæ persona humanitatis, præsertim gaudentem, se tanto periculo defunctum esse, quanto hoste ac insidiatore liberatum? Ergo igitur tot blanditijs persuasus, tot captus illecebris, censuit humanitatem humanitate compensandam; jamque sine metu ei obuiam iuit, neque secus, atque ante annos decem, cum eo familiariter egit: ratus vtique, tanto temporis intervallo, offensæ mentis æstum extingui potuisse. Vt qui sicam, ita qui iram abscondit, maius malum machinatur; & periculosius est vtique, meditatè, quàm temerè feriri. Quare dum in hunc modum, amicitia vetus videtur coaluisse; dum nulla suspicio clypeum; nullus metus suggerit cautionem; dum galea ponitur, dum hosti creditur; optatissima eidem occasio offertur verberandi. Etenim, inter hanc

Eccli. 12. 10.

familiaritatem, veteranus insidiator, obseruata secreti ab arbitris omnibus loci opportunitate, ex improviso, & nihil minus opinantem à tergo aggreditur, subiectoque pede, retro actum humi prosternit, iacentique altero genu superincumbens, pugionem vagina liberat, manuque in altum sublata, mortem presentem minitans, iam tandem vindicandi tempus adesse, ait; iram diu pressam aliquando demum occasionem inuenisse erumpendi; meminisse illum, quid ante decennium fecerit, id alta mente sepultum, tandem nimium vrens ebullire in vindictam, vno verbo, moriendum illi esse. Expalluit, ad hæc, prostratus, oppressumque se vicens, ad vltimas preces confugit, per superos omnes rogans, ne iræ tantum velles indulgere; esse se hominem; esse amicum: fidei illius, post tot insidias animaduersas, concredidisse: deprecari culpam; supplicem se esse, pro vita; promittere omnem huius iniuriæ obliuionem, fidemque & fidelitatem æternam spondere. Audita hac oratione, alter vultum mutauit, nihilque diu locutus (quasi exoratus, etiam mentem mutauisset) tandem in huiusmodi verba illi respondit: *Fator, monit me tua isthac deprecatio, & vitam tibi donabo; sed ea solùm conditione: Si Deo, si Diuis, si sanctis Sacramentis, si omnibus diuinis beneficijs ad animarum salutem concessis renunciaueris; Morieris, ni hac ælutum feceris; Deo negato, viuis.* Durissima hæc misero illi viro visa est conditio, & iniquissima, simulque non sine grauissimo impietatis scelere implenda; metu tamen mortis, & intempestiuo vitæ amore, passus est se vinci; &, licet inuitus, morem aduersario gessit. Sub cultro igitur constitutus, hac formula Superis valedixit. *Ego N. Deo, & addeò SS. Trinitati, ego Christo in cruce passo, ego Matri Christi, ego Angelis, Apostolis, Diuisq; omnibus; ego Baptismo omnib; Sacramentis à Christo institutis renuncio.* Dixit, & vixit. Nam, audita hac renunciatione, consceleratissimus ille parricida, immo Stygius satelles (neque enim dignus est, qui homo appelletur) id, quod optauerat destinaueratque, assequutus, illico pugionem in pectus impressit, supplicemque confodiens, ad Orcum transmisit. Poterat hoc esse summum impietatis atque immanitatis fastigium; sed inuenit Tartareum ingenium, quæ adderet tantæ impietati colophonem. Neque enim desperatum caput, contentum fuit, facinus adeò nefandum perpetrasse, sed ausum est præterea iactanter gloriari,

riari, ac dicere, sibi adedò exoptatam ac suauem, de suo inimico, vindictam obtigisse, vt maiorem sperare non potuisset: nec enim animam se illi solam è corpore exturbasse, sed etiam, abiuratione, tam dira, effecisse, vt recto itinere descenderet ad Acherontem, & cruciatus semper duraturos. Qua vtique vindicta non potest crudelior excogitari, etiam si cacodæmones omnes in commune concilium conuenirent. Excogitauit autem eam Ira, seu odium, quod est Ira inueterata.

Quid autem, putatis, eiusmodi truculentiam apud diuinum tribunal mereri? D. certè Hieronymus ait: *Sicut misericordia sursum estuat ad Deum; ita deorsum crudelitas in infernum abijcit.* Quin & Plato Ethnicus ait: *Crudelitas in Tartari barathrum improbos abijcit, unde nunquam egrediuntur.* Nulla res adedò æternam damnationem prouocat, vt alterum obijcere æternæ damnationi, quam vt euadere possemus, Deus filium suum misit, vt extrema pro nobis supplicia pateretur. Eum imitari Christianum, immo humanum, est, quia Deus, vt Lactantius loquitur, *qui ceteris animantibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurso & periculo tutiora generauit. Hominem verò, quia nudum fragilemque formauit, vt eum sapientia potius instrueret, dedit ei, præter cetera, hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraque omnia pericula, & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur hominum inter se vinculum est, humanitas: quod qui diruperit, nefarius & parricida existimandus est.* Immo non homo, sed bestia, sed tigris, sed diabolus, qui & ipse circuit quærens non tam, quo modo corpus, in tumbam, quàm quomodo animas in gehennam perdat.

Indignamini, vt video, hominem repertum esse, qui tam immane & inhumanum flagitium ausus sit committere? ignoscite mihi, si ostendero, multos hodieque inueniri illi pares, qui homines rectè dici non possint, cum itidem non tantum sæuiant, ritu belluarum, sed odijs ardeant diabolorum. Neque enim, vt supra innui, satiantur, si inimicum opibus spolient, si fortunis euertant, si nomine bono exuant; si in vincula & carceres compingant; neque verò etiam, si saucient, si trucident. Ultra furor eorum exardescit; ad animas quoque perdendas extenditur. Neque id enim illi soli faciunt, qui alijs scandalo sunt, eosque secum in omne ge-

RWS

XXIV.  
IRA HOMINEM  
EVERTIT.  
S. Hieronymus  
in 12. Proph.

Lactant. l. 6.  
de verò cult.  
cap. 10.

XXV.  
SCANDALIZANTIVM, IMPRECANTIVM, GRASSANTIVM, INFANTICIDARVM MALITIA.

Matth. 18. 6.

nus criminum trahunt; atque ex innocentibus nocentes; è castis scortatores; è pijs impios; ex Angelis diabolos faciunt; itaque moribus suis illos inficiunt, vt qui antè inhonesta ne nominari quidem, coram se sustinuerunt; nunc detestandam voluptatem omnibus ianuis admittant: quibus melius esset, si *mola asinaria è collo eorū suspenderetur*, atque in mare Creticum portarentur: sed & irati quoque quid aliud agunt, quando alijs optant, & imprecantur, vt dispereant? vt subita morte sublatis, sine cruce & luce moriantur? vt à mille diabolis in Stygem abripiantur? Sed hæc vota sunt tantum; facta quoque paria possunt demonstrari. Quid enim aliud agunt, qui alios, gladio, vel scloppo, ex improviso, atque ad moriendum minimè paratos, vel sua manu, vel per *Assasinos* aggrediuntur; & vt paucos nummos, aut exiguas vestes rapiant, non dubitant miserum viatorem, vita, & æterna salute spoliare? Nam quem tu, ô non jam miles, sed latro, crumenæ causa, occidis, is non vitam tantum, sed, si imparatum occupas, animam quoque perdit: quam seruasset fortasse, si, per te, pœnitentiæ agendæ tempus habuisset. Vno igitur ictu duplicem illi vitam adimis, neque in terram sinens viuere, neque ad cœlum venire. Magna est vitæ huius lucisq̃ iactura, ob quam illatam, homicidæ in rotam aguntur, sed nihili hæc iactura facienda est, si cum æternæ vitæ amissione comparetur. Quo damno etiam ipsos suos liberos afficiunt matres, quæ natos vix in lucem editos, Sacramento Baptismi nondum lustratos, instar Medæ, necant, & eliso cerebro, vel acu impressa, vel abscisso iugulo, vel gutture strangulato, in flumina, aut cloacas abijciunt. Quod quanquam non faciunt ira, sed pudore ac infamiæ, vel alio metu suadente, tanto tamen sunt crudeliores; quia Orco consecrant, quos cœlo pepererunt; meritò proinde, vt *Assasini* eorumq̃ instigatores, ab Ecclesia excommunicatæ.

XXVI.  
DVELLORVM  
FVRIOSA IRA.

At, ne quis milites tantum & viarum inessores (qui itidem ex prædæ, non ex vindictæ cupiditate plerumque inuadunt, quos in via non satis comitatos nanciscuntur) arbitretur, hoc se tam Satânico latrocinandi genere Deo execrandos reddere; incidunt in eandem immanitatem iuuenes, viri, senes, & illi, qui paulo prius hilariter colluserunt, comptarunt, atque inter nuptiales epulas, se se mutuò dilectissimos fratres appellauerunt. Vnum dictum, vnus iocus,

iocus, vnus nutus, vna suspicio illos ad arma excitat: surgunt, currunt, prouocant, enses nudant; globos mutant, nec ante ex arena discedunt, quàm alteruter ex equo cadat mortuus: nec rarò vterq; cadit. Quo isti eunt? rectis lineis feruntur in infernum. Ergo audite vos temerarij prouocatores; audite duellatores, quântam vos ad crudelitatem impellat furor, in quo vos laudem, & nominis, aut nobilitatis vestræ honorem positum existimatis. Combibones vestros, quos vel prouocatis, vel prouocantes duello petitis, non tantum vultis occisissimos, sed etiam occisos, morte secunda damnatis, & mittitis non in sepulchrum duntaxat, sed etiam in infernum. Vt enim in vino rixæ frequenter existunt; ita non difficile est cogitare, quò mittantur, qui ebrij, qui luxuriosi, qui irati & vindicta ac cædibus perpetrandis pleni occiduntur. Sic olim *præceperat Absalom* 2. Reg. 13. 28. *pueris suis, dicens: Obseruate, cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite.* Talia etiam sunt consilia & mandata diabolorum, quibus certum est, eos, qui in ebrietate, in impudicitia, in flagitijs constituti necantur, vnà cum animabus suis interire. Videte ergo, an non horum occisores, & animam simul & corpus perdant in gehennam? præsertim duellatores. Quod si enim adhuc aliquid grandius audire sustinetis, non in alios tantum, sed in semetipfos etiam isti, tam Acheronticis modis, & furiosâ insaniâ sæuiunt. Accidit enim sapius, vt ille cadat, qui prouocauit. Quò cadat, facile est cogitare. Nam etiam duellum, seu *pugna duorum ex condicito*, ad defendendam propriam, contra aggressorem, vitam, aut quando bellum resoluitur in duellum, vt in David & Goliath videre fuit, licita sit; tamen neque ad vires & generositatem ostentandam; neque ad lites terminandas; neque ad honorem defendendum, ignominiamque, apud imperitos aestimatores, cuitandam; neque ad purgationem, licitè & sine peccato, suscipitur. Hinc omne duellum ex condicito subiectum est pœnis. Laici duellantes excommunicantur: clerici excommunicantur & suspenduntur: quin & prouocantes ad duellum, effectu non secuto, vti & acceptantes incidunt in excommunicationem. Nunquid hoc est & suam animam vita spiritali priuare, & alienam? Quisquis igitur in tali duello vel occidit, vel occiditur, vno vulnere & corpus & animam perdit. Huc ira ducit, si fræno non cohibeatur.

X

Sed

Vincent. Fil-  
liutius. tract.  
29. in 5. præ-  
cept. decal.  
1. Reg. 17.

## XXVII.

SE IPSOS OC-  
CIDENTIVM  
INSANIA.  
2. Reg. 1.

2. Reg. 17. 23.

Sed his omnibus longè amentius sibi fortunisque; suis irascuntur, qui impatientia intemperisque eò adiguntur, ut sibi ipsi statuam inferre manus violentas. Sic, ut de Pyramo & Thysbe nihil dicam, ac ijs, qui eos insanis amoribus imitantur; sequè ipsos interimunt, quando ijs frui non possunt; apud Græcos Ajax, apud Hebræos rex Saul, in proprium gladium incubuit. Sic *Achitophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, disposita domo sua suspendio interijt.* Quo mortis genere etiam Iudas animam suam, ex arbore in Orci barathrum, præcipitavit. Herodes quoque mortem sibi ipse conscivit, ne se diutiùs viuum vermibus permetteret epulandum. Quod & de Pontio Pilato refert Gregorius Turonensis. Apud Ethnicos innumeri tales extiterunt. Ibi non tantùm Dido, & eius soror Anna; non Cleopatra modò & Lucretia; neque sola Euadne, Biblis, Sappho, Iocasta, Phædra, Phyllis, Anatolia, & aliæ desperati spiritus feminae; sed etiam Aegeus Atheniensis, Hæmon Thebanus, Mopsus Cretensis, Annibal Carthaginensis, Cleomenes Spartanus, Dinocrates Messenius, Eratosthenes Cyrenæus; quin & ipse ille fortissimus Poëtarum Hercules, voluntaria se se morte peremerunt. Occurrunt nostræ quoque ætatis exempla quotidiana, in quibus quid aliud docetur, quàm irâ furentes eò impelli, ut sibi ipsi & vitam eripiant, & animam in æterna supplicia mittant, de breuius huius vitæ molestijs, ad nunquam desinendos inferni cruciatus transitoriam? Quanta bestia est ira, quæ tales ex hominibus bestias facit? immo bestijs truculentiores? Pauca enim se ipsas necant. Cum scorpione possunt autothanati isti venire in comparationem. Circulum si quis faciat ex ardentibus prunis, in coronæ modum, humi circumfusus, atque in medium inijciat viuum scorpionem, videt illico caloris impatientem anxie discursare, & jam hinc, jam ibi exitum tentare. Si videt se quærere frustra, hinc igne, inde ira exardescens, retortâ in tergum caudâ se ipsum interimit. Ad hunc modum exstuant multi, cum rerum suarum exitum non inveniunt: tunc enim à morte petunt remedium, quasi cum vita calamitates finirent; quas nequaquam, hac via fugiunt, sed incurrunt, augent, & de breuius ac paruis magnas atque æternas faciunt, more illius, qui ad littus obambulans, ne à pluvia aspergeretur, in mare insiliit. Patiens non irascitur. Humilis non curat si parui pendatur.

Ad



Ad hunc modum ira, à diabolo orta, crescit in homine, vt rationem excæcet, voluntatem præcipitet, consulentes non audiat, nemini, nec Deo, nec ipsi irascenti parcat. Et clemens foret, si in corpus tantùm sæuieret; nunc in ipsam quoque animam est truculenta. Nec debent sibi blandiri, qui se non interemerunt irascentes. Siquidem & sanctorum hominum animas hic affectus subinde quatit. Etsi enim illæ tam plumbeas iras non habeant, vt illis semper in Infernum mergantur; grauantur tamen sæpe vsque ad Purgatoriũ. Quàm pauci enim primos statim impatientiæ motus, comprimunt? Quàm rari iram non fouent recordatione iniuriarum? Quàm procliuus sumus ad dicta, vel facta aliorum non excusanda, sed deteriorius interpretanda? Quàm citò turbamur? Quàm parum ferre possumus? Quàm leuibus rebus offendimur? Quàm subito exclamamus, sicut podagræci, qui, etiam cum non tanguntur, solent vociferari, ne tangantur ab ijs qui lecto propinquant? Quàm agrè animam applicamus ad ea cogitanda, quibus iræ igniculi extinguuntur potius, quàm sufflaminantur? Quidam penè omnibus rebus offenduntur, ob rem nauici se sinunt abalienari; exacerbati voluntatem; imminui amorem & bonam de altero existimationem amaritudine infici. Quidam aiunt, se non odisse alterum, sed tantum non libenter aspicere, non libenter colloqui, non libenter de eo aliquid audire. Quàm expeditus est in multis impetus vindicandi? & malum pro malo reponendi? occasione data, laudes eius tacendi? nauos vulgandi? à bono impediendi? ignominiam, aut pœnas optandi? tristandi de eius prosperis, lætandi de malis? & si de eo honorificam mentio injiciatur, aliò sermonem deriuandi? contrahendi frontem, & auersum animum rugis ostendendi? aut toruè intuendi? Ne dicam, super eum expuendi? præ indignatione non respondendi? aut respondendi aculeatè? minitandi? conquerendi? obiurgandi? acerbè, ironicè, contumeliosè, cum execratione appellandi? extorquendi, quis hoc vel illud dixerit? quin & percutiendi? manu peduè protrudendi? vexandi? detrahendi? diffamandi? discordias spargendi? Hæc qui agit, nonne odit? At *omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Quare & animam suam occidit, cuius vira in gratia Dei consistit. Quin & in proprium quoque corpus

XXVIII.  
VARIÆ IRAE  
MOTVS ETIAM  
PROBIORIBVS  
INFESTI.

1. Ioan. 3. 15.

scit, quod neque dormire, neque quiescere potest, neque cibis ei sapit, ut in Aman est videre; denique etiam paulatim contabescit. Nonne hoc est seipsum & occidere, & perdere in gehennam? Si ergo indignamur illi, qui alterum ita oderat, ut animam cum corpore in exitum mittendi inuenerit rationem, cur non potius nobis ipsis irascimur, quod irascamur; &, velut cuneo cuneum, ita irascimur, & nolite peccare. Sic discite cum omnibus pacem habere. Beatus, cui post mortem Mundus epitaphium ponere potest, quale Romæ positum refert Appianus: Q. CAVIVS SEVERVS RVTLIÆ PRIMITIVE CONIVGI SVÆ DVLCISSIMÆ, CVM QVA VIXIT, ANNIS XX. SINE BILE: aut quale, in agro Nemausensi cernitur: D. M. S. SYLVIVS PATERNVS VXORI RARISS. EXEMPLI. CVM QVA VIXIT ANNIS XXXII. SINE VLLA ANIMI LÆSVRA E. S. V. P. Itaque homini aliàs etiam religioso, sed impatientiæ motibus non satis imperanti dici potest,

Appian. in  
Antiquitati-  
bus.

Quid. epist. 3.  
Heroid.

*Vince animos, iramq; tuam, qui cetera vincis.*

## CAPVT VII.

# ACEDIE NATVRA, DAMNA, REMEDIA, IN STUDIOSO IUVENE, OSTENSA.

### PARS PRIMA.

I.  
ACEDIA QUID,  
ET QVAM PE-  
RICVLOSVM  
SIT VITIVM?

S. Thom 2. 2.  
q. 35. 2. 2.

**C**AVDVM, nobilissimus charitatis fructus, vel de bono Dei, vel de bono proximi, in nobis oritur; atque idcirco geminum est. Vtrique tristitia quædam opponitur. Illa, tristitia, quæ aduersatur gaudio ob bonum diuinum nato, *acedia*, seu tristitia de bono diuino; quæ autem est contra gaudium è bono proximi profectum, *invidia* appellatur. Qua de caussa D. Thomas censuit, priùs de *Acedia*, quàm de *Invidia* tractandum. Alij tamen in vltimum *Acediam* locum relegant, non quòd sit minimum vitiorum ( siquidem charitati virtutum omnium reginæ, & quidem magis, quàm *Invidia* opponitur, quod pauci expendunt ) sed quòd in vitij ordo nullam indicet dignitatem, Et decet *Acediam* vltimus locus,